This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

5 88

L 2 13. 15.



BOUGHT WITH

THE GIFT OF

WILLIAM GRAY,

OF BOSTON, MASS.

(Class of 1829).

Jan. 1, 1861.

5½ - 88

RUTILII CLAUDII NAMATIANI

DE REDITU SUO

LIBRI DUO.

RECENSUIT ET ILLUSTRAVIT

AUG. WILH. ZUMPTIUS PHIL. DR.

PRAEC. ORD. GYMN. FRID. WERD. BEROL.

ADDITA EST ETRURIAE ORAE TABULA LITHOGRAPHICA.

BEROLINI 1840.

SUMPTIBUS FERD. DÜMMLERI.

L R 13.15 1861, Jan. 1.
Gray Fund.
86

PRAEFATIO.

De duabus rebus hoc loco agendum esse videmus, ut et nos quid in hoc libro efficere voluerimus, rectius iudicetur, et ad carmen ipsum intelligendum facilior paretur aditus. Primum enim dicendum est de Rutilio invento, per editiones propagato, explicato, emendato, qui disputationis locus sicut in plurimis veteribus scriptoribus naturalem quandam habet molestiam, propterea quod in diversitate fontium necessario prope accidit, ut falsa pro veris habeantur et existat copia quaedam critica, cuius delectus habendus est, ita in hoc ipsorum virorum doctorum opera atque sollertia impeditus est. Cuius quia unus omnino erat fons, cum nulla ne potestas quidem esset facta eligendi, si plus ei, quod traditum erat, minus suo quisque ingenio confideret, raro aberrari poterat. Deinde, quae de Rutilii ipsius nomine, vita, patria memorabi-

lia videbuntur, ea sic addam, ut, quae his de rebus in Observationibus in Rutilii Claudii Namatiani carmen de reditu suo (Berol. 1836) a me ante hos quattuor annos exposita sunt, vel repetam summa, vel suppleam, si qua intra hoc tempus nova reperta sunt.

Inventus igitur est Rutilius in coenobio Bobiensi, ad alpes Penninas sito, anno 1494 a Georgio Galbiato, dum iussu Georgii Merulae Mediolanensis locupletissimae bibliothecae chronica et caesarum diplomata perquirit. Nam Terentianum quidem Maurum ibi se invenisse narrat Georg. Galbiatus in epistola, quae praemissa est editioni principi Mediolanensi Terentiani Mauri: *) Rutilium autem cum Terentiano Mauro et aliis quibusdam libris Bobii anno 1494 repertum esse ait Raphaël Volaterranus in Commentariis urbanis libr. IV p. 45 extr. ed. Basil. 1530 **). Nec tamen Rutilius continuo in lucem

*) Praemisit eam ex editione principe descriptam Carol. Lachmannus Terentiani Mauri edit. Berol. 1836.

**) Ipsa eius subiicio verba: *Bobium ad Apennini iuga situm, ubi nobile coenobium a Theodolinda regina Longobardorum extructum. Hic anno MCCCCXCIIII huiuscemodi libri reperti sunt. Rutilius Naumatianus. Heroicum Sulpitii carmen. LXX epigrammata. Terentianus Maurus de litteris, syllabis, et metris omnis generis* cet. — *quorum bona pars his annis proximis a meo municipe Thoma Phaedro bonarum artium professore est advecta in urbem.* Lachmannus in editione Terentiani

exiit, sed latuit aliquamdiu in coenobii latebris, donec anno 1495 Thomas Inghiramius, cognomine Phaedrus, Volaterranus, qui aliquanto post bibliothecae Vaticanae praefectus est, Georgio Merula auctore cum Bobium delatus esset, *) Rutilii carmen descripsit, codiceque ipso relicto exemplum descriptum paulo ante annum 1506 Romam attulit. Eodem autem tempore Iacobus Sannazarius, poëta sui temporis elegantissimus, ex Galliis in urbem advenit cum nonnullis recens inventis codicibus. Nam Ovidii Halieutica et Gratii ac Nemesiani Cynegetica ab eo inventa esse constat. Vide M. Hauptii praefationem ad editionem Ovidii Halieuticon etc. p. XXII sqq. Qui, qua erat incensus novorum librorum cupiditate, codicem Phaedrianum descripsit descriptumque Neapolim attulit. Hoc significat Ioann. Iovianus Pontanus in epistola ad Sannazarium, quae est in eius operibus Basil. 1538 Tom. III p. ult.; **) Summontiusque in epistola ad Fran-

---

ex editione Romana nominat annum 1493, sed in editione Basileensi et scio ipse esse 1494 et testantur Burmannus, Wernsdorfius, Peyronius. Idem autem Raphaël Volaterranus in Comment. urb. IV fol. 220: *Rutilius Gallus poëta. Cuius elegia quaedam iter suum continens haud ignobilis nuper inventa est.*

*) Vide Amedeum Peyronium de bibliotheca Bobiensi p. XIX edit. Ciceronis fragm. orat. p. Scauro etc.

**) Repetiverunt eam epistolam Wernsdorfius in Poët.

ciscum Pudericum, quae est in Pontani Operibus Tom. II p. 187, de *Rutilii Namatiani* elegis a Sannazario sibi missis quid sentiat exponit.*) Nec enim credo iis, qui a Sannazario alium quendam, diversum a Bobiensi, codicem ex Gallia in Italiam allatum esse putant, quos et Burmannus in praefat. ad Poët. Lat. Min. et Wernsdorfius in praefatione editionis Rutilii p. 41 sqq. copiose refutarunt.

Lat. Min. Tom. I p. 19, Hauptius l. l. p. XXIII. Nos, quae ad Rutilium pertinent, referimus: *Quae ad Pudericum scripsisti, ea me mirificum in modum delectarunt. Sunt enim plena pietatis tuae erga vetustatem ac diligentiae. Quocirca vel aventissime expecto videre Ovidianos illos pisciculos in Euxino lusitantes, Maeotideque in palude. Quod vero ad venationem attinet, visus est mihi vates ille lepidus, numerosus et cultus; deque eo, si recte memini, fit ab Appollinare mentio in hendecasyllabis. Rutiliani illi versiculi enodes sunt et nitidi; cultus vero ipse peregrinus potius, quam urbanus, ne dicam arcessitus. Sed de his omnibus cuius erit iudicium rectius aut probatius quam tuum?*

*) Vide Hauptium l. l. p. XXIII extr. et Wernsdorfium Poët. Lat. Min. T. V p. 67. Nos item haec apponimus: *Is etiam* (Sannazarius) *ad nos attulit Ovidii fragmentum de Piscibus, Gratii poëtae Cynegeticon, item Aurelii Nemesiani, qui floruit sub Numeriano imperatore: et Rutilii Namatiani Elegos, quorum tenuitatem et elegantiam e saeculo illo agnoscas Claudiani. Atque haec quidem omnia statim post Pontani libros emittentur.*

Atque haec quidem acciderunt codici descripto; ipse autem ille ἀρχέτυπος, saeculi octavi vel noni ac Longobardicis, ut opinor, literis scriptus, *) ubi nunc lateat, nescitur. Qui cum tunc quidem, cum descriptus alter exiit, Bobii mansisset, duobus fere seculis post a comite Bonnevalo Gallo, notissimo homine, ablatus est, ut Peyron. l. l. p. XX ex manuscriptis adversariis abbatis Bobiensis docuit. Quamquam illud certe non recte Peyronius addit, codicem nunc videri alicubi in Galliis delitescere. Nam Bonnevalus, quamvis Gallus esset, exul erat militabatque sub principe Eugenio in Austria, ut codex nunc videatur Vindobonae esse debere. Ipse enim, qui bibendo potius quam legendo operam dare consuerat, sibi quidem non videtur rapuisse, sed, opinor, Eugenio, ex cuius copiis in publicam Vindobonensem bibliothecam eum transire oportuit.

Phaedrianum autem illud ἀπόγραφον cum saepius, ut fit, in Italia esset descriptum, anno 1520 primus edidit Bononiae in aedibus Hieronymi de Benedictis Io. Baptista Pius satis accurate. Nec enim mutavit quicquam aut interpolavit,

*) Illud inde coniicio, quod eiusdem aetatis sunt alii codices Bobienses, quos aliquot habet bibliotheca Vindobonensis, hoc, quia Terentianum Maurum Longobardicis literis scriptum fuisse scimus ex praefatione ed. principis Mediolanensis. Atque ipsum coenobium Bobiense Longobardicum fuerat.

sed quae in eius editione inveniuntur discrepantia ab eo codice, quo nos usi sumus, scribendi potius erroribus quam consueto tunc Italorum mori veterum poëtarum interpolandorum tribuerim, *) qua de re ipsa orthographia fidem facere potest, quae prope ubique in codice nostro et in editione principe eadem est. **) Tres fere loci sunt, in quibus cum ea, quae scripta inveniebantur, minus rectam sententiam habere viderentur, vel ipse ille editor vel qui ante eum codicem descripserat, suo Marte videtur Rutilium correxisse. Primus est 1, 166, ubi cum, quod male pictum erat, legeretur *dicere non possum lumine sicco vale*, sic est inscite emendatum *non possum sicca dicere luce vale.* Alter est 1, 474, ubi, quod in codice nostro est *ad decessoris maior amore fuit,* manifestam habet corruptionis significationem. Quod enim est *ad,* cum praepositio esse putaretur nec eam illo loco aptam esse appareret, illata est in Rutilium vox deterioris latinitatis *praedecessoris.* Tertius denique est 1, 178, ubi, quod esse videbatur in co-

*) Ut 1, 18 in codice est *connubium,* in editione *concilium;* 1, 29 *saeva incendia* et *longa incendia;* 1, 34 *addere vela* et *reddere vela;* 1, 76 *fraetus* et *factus;* 1, 112 *vernula qua-ludit* et *vernulaque-ludat* etc.

**) Vide 1, 13 *religiosa;* 1, 17 *verticis;* 1, 25 et 45 *lachrymas;* 1, 41 *cohercet;* 1, 59 *harenis;* 1, 60 *repulit;* 1, 121 *solem ne vis* etc.

dice *divisos-ter et,* cum dubitationem moveret, falso correctum est *diviso-fuit.* Quae omnia vides mutata esse non ab eo, qui libidinose sua inferre in scriptorem veterem, sed qui iis, quae non intelligeret, sententiam aliquam subiicere vellet. Atque haec quidem de editione principe Bononiensi; nam quam Funccius, Fabricius, alii ex Summontii illa epistola, quam supra laudavimus, collegerunt, Summontianam editionem principem esse Neapoli editam, eam nullam fuisse satis a Burmanno et Wernsdorfio demonstratum est.

Quae secutae sunt editiones, eas non recensebo omnes, quarum accuratae descriptiones sunt in editionibus Wernsdorfii, Kappii, Bipontina; sed eas commemorabo, quibus aut emendatio Rutilii adiuta est aut explicatio. Atque ex his omnibus editoribus unus est, qui proxime principem insequitur, Onuphrius Panvinius, *) homo imprimis doctus, qui in editionis suae praefatione extrema codice se usum esse dicit. Sic enim ait: *aliquot versibus, qui in vulgato deerant, locupletatum* esse Rutilium *Gabrielis Faërni, viri optimi et doctissimi poëtarumque omnium suo saeculo celeberrimi opera.* Nimirum in editione principe desunt vs. 1, 575—578, quae

*) Edidit autem in commentariis de urbe, imperio et civitate Romana, primum Venetiis 1558, postea saepe et in Gallia et in Germania repetitis.

aliquis extremorum versuum similitudine deceptus errore omisit. Vide nostram notam. Quos quamquam supplevit Onuphrius ex codice aliquo descripto, quem a Faërno acceperat, nihil tamen ultra novavit. In aliquot erroribus typographicis, qui in editione principe fuerant, corrigendis eius cura constitit; annotationis nihil addidit. Post Ios. Simlerum (Basil. 1575), qui superiorum varias lectiones, suasque nonnullas coniecturas addidit, eiusque repetitores, Nathanem Chytraeum,*) Nic. et Ierem. Reusneros **) veram tandem recensionem Rutilii suscepit Iosephus Castalio (Romae 1582), qui quamquam codicis subsidio carebat, editionibus tamen prioribus et ingenio suo ita usus est, ut multa emendaret, multa non recte mutata restitueret, annotationis denique primus fundamentum iaceret, prudenter ubique et moderate. Pithoeus, qui Rutilium inter Epigrammata et Poëmatia vetera (primum Paris. 1590) edidit, pauca admodum emendavit aut explicationis causa addidit. Successit Theod. Sitzmannus (Lugduni 1616), qui cum sagacitate minus valeret, apta tamen comparatione eorum locorum, quos Rutilius imitatus esse videbatur, aliquid ad interpretationem contulit.

*) Francofurti ad Moen. 1575. Titulus libri est Hodoeporica sive Itineraria etc.

**) Hodoeporicon sive Itinerum totius fere orbis libr. VII. Basil. 1580.

Casp. Barthius (Francofurti 1623), homo variae, sed parum rectae eruditionis, idemque haud exiguae iactationis, aliquot dierum opera, ut ipse ait, Rutilium recensuit et animadversionibus illustravit. Qui si minus sibi ipse placuisset, nec gloriam omnem in constipandis rebus similibus, dissimilibus, aptis, ineptis positam esse putasset, poterat aliquid prodesse Rutilio, cum multum esset in deterioris latinitatis poëtis versatus; nunc oneravit magis quam illustravit poëtam, ut molem illam animadversionum tetigisse prope poeniteat. Modestius, non prudentius Rutilium suis superiorumque interpretum notis instruxit Th. Ians. ab Almeloveen. (Amstelod. 1687). Hoc habet novi, quod Graevii aliquot notas tabulamque itineris Rutiliani adiecit. Ei aemulatus Petrus Burmannus cum aliis aliquot poëtis latinis minoribus Rutilium in corpus quoddam redegit (Leidae 1731), suo more in eo edendo versatus, ut praeter Almeloveenianas et Graevianas priorum omnium notis adderet suas. Contextum raro mutavit, interpretationem aliquoties poëtarum latinorum, quorum, si minus accurata, at multiplici cognitione valebat, comparatione adiuvit. Almeloveenii et Graevii notas repetivit Andreas Goetzius (Altorphii 1741), quibus quae ipse addidit, sunt omnia inutilia. Iustus ac severus censor alter ab Castalione extitit Chr. Tob. Dammius (Brandenburg. 1760), qui cum annotationem

noluisset adiicere, paraphrasi tamen perpetua, quam vocat, intellectui carminis optime consuluit, in eo tamen cupidior, quod nonnunquam transponendis versibus sententiam poëtae restituendam esse putabat. Secutus est plerosque eius et errores et emendationes Io. Chr. Kappius (Erlangae 1786), qui annotationem criticam sine dilectu factam ineditasque G. Cortii, qui aliquando Rutilium edere voluerat, notas adiecit, quae, quamquam ultra v. 28 non procedunt, et acre hominis iudicium produnt et limam nondum adhibitam. Io. Christ. Wernsdorfii editio, qui ab Rutilio tomum quintum poëtarum latinorum minorum (Helmstadii 1788) orditur, notissima est. Qui cum et leves superiorum coniecturas sperneret et in hoc genere poëtarum esset exercitatissimus, potuerat optime perfungi eo, quod susceperat, si paulo plus diligentiae adhibere voluisset. Cum properaret, multa recte vidit, multa reliquit. Haec de editionibus; nam recentissimas, eam, quae a Io. Sigis. Grubero, Advocato Norimbergensi, satis imperite instituta est, (Norimbergae 1804) et Bipontinam (Argentorati 1809), ex Wernsdorfiana expressam, praetereo.

Praeter hos tamen iustos editores non dicam contigerit an acciderit Rutilio, ut tot in eo ab viris doctis emendarentur et mutarentur, quot vix ullus alius vetus scriptor passus est. Qui

quoniam hoc unum sibi videntur proposuisse, ut in hoc, tamquam in vili capite, nulla praesertim codicum auctoritate coërciti, ingenium exercendum esse putarent, nocuerunt magis quam profuerunt. Nolo recensere eos, qui alium aliquem scriptorem tractantes per occasionem Rutilio manus intulerunt, sed nomino ex vetustioribus imprimis C. Barthium, qui, ut adversaria sua compleret, quicquid in buccam venerat, profundebat, auctores observationum miscellanearum, Amstelod. 1733 Vol. III Tom. III p. 363—369, Crusium in probabilibus criticis, Lipsiae 1753, cap. X p. 55—63. Ascivit ad hanc coniecturarum copiam nova quaedam et inedita Wernsdorfius, Ioan. Schraderi et Christ. Frid. Weichmanni, quae non pluris facienda sunt, quam illa. Quam omnem suppellectilem, si multitudinem coniecturarum compares cum veritate, abesse certe malis quam adesse. Adeo ubique in varias distraheris partes, dum ea, quae viri docti censuerint, omittere religioni habes, admittere molestum esse intelligis. Quare idem saepe mihi faciendum esse putavi, quod Wernsdorfius fecit, ut vera posita interpretatione, nisi cum breviter deberent redargui, ea omnia si commemorassem simpliciter, abunde honorem iis habitum esse arbitrarer.

Devenimus ad nostram operam in hoc carmine positam. Quo quidem loco de critica potissimum ratione dicendum est. Nam cum a

ceteris, qui Rutilium ediderunt, suam recensionem veteribus superstructam, a nullo novam quasi de integro institutam esse viderem, prima ea cura esse debuit, ut criticum aliquod subsidium nanciscerer, quo tamquam fundamento editio mea niteretur. Sed codex ille ἀρχέτυπος frustra a me quaesitus est; ἀπόγραφον saeculo XVI scriptum in bibliotheca Vindobonensi extare cognovi, cuius collationem Ferd. Wolfii, bibliothecae illius subpraefecti, promptissima opera mihi comparavi.

Est autem nobilis ille codex, de quo dicit Endlicherus in catalogo codicum philologicorum latin. Bibl. Vindob. p. 121, ex diversorum saeculorum libris consutus. Continet enim praeter alia quaedam minora maxime Ovidii Halieuticon et Gratii Cynegeticon eosdem illos libros vetustissimos, quos Sannazarius saec. 16 ex Gallia in Italiam attulit (vide supra p. V), quibus nuper usus est Mauritius Hauptius.*) Postrema autem eius folia 84—93 habent *Rutilii Claudii Namatiani Itinerarium,* ut Endlicherus l. l. posuit, vel, ut is, qui librum mihi contulit, ab initio ipsius carminis esse scribit: *Ex fragmentis RuTilii cLaudii Namatiani de reditu*

*) In editione Ovidii Halieuticon, Gratii et Nemesiani Cynegeticon. Lipsiae 1838.

suo e Roma In Galliam Narbonensem. *) Esse autem eum codicem ait Endlicherus ἀπόγραφον earum membranarum, quas olim Sannazarius habuerit, quas tamen ipsas in volumine illo non inesse. Quae res cum dubitationem mihi movisset, per literas interrogatus sic humanissime respondit: coniecturam illam quidem esse meram, sed verisimillimam. Etenim cum constaret, **) quae in codice illo carmina essent Ovidii et Gratii, ea fuisse inventa olim a Sannazario, hunc autem Pontanus narraret cum Gratio et Ovidio Rutilium attulisse in Italiam, illa quidem ἀρχέτυπα reperiri in codice, Rutilii ἀπόγραφον tantum, eadem manu scriptum, quae Ovidii Halieutica ex Sannazarii codice descripsisset; nam Halieuticon ibi esse et ἀρχέτυπον et ἀπόγραφον. Quamquam certam nequaquam esse eam coniecturam, nec magis illud sibi videri certum, quod Gentilottius dixisset, ***) ab ipsius Sannazarii manu et Ovidii et Rutilii ἀπόγραφα profecta esse. Quae certe verissima essent, si Sannazarii ullus

*) Vide paulo post de vera inscriptione, quae esse debeat, et de nomine poëtae.

**) Rem demonstravit M. Hauptius l. l. p. 11, apud quem vide etiam de inventis a Sannazario libris.

***) In catalogo manuscripto, opinor, bibliothecae Vindob. Quibus rationibus Gentilottius usus sit, non additur ab Endlichero.

codex fuisse videatur, cum nullum omnino fuisse demonstratum sit supra, etiam illud, quod Rutilii ἀπόγραφον, Gratii et Ovidii ἀρχέτυπα in codice illo inveniuntur, quo pacto acciderit, apparet. Etenim quos libros Sannazarius invenerat, ii ipsi in bibliothecam Vindobonensem pervenerunt, quem descripserat Rutilium, eius ἀπόγραφον illis additum est. Illud vero, quod Gentilottius dixit, Rutilii hunc codicem ipsius Sannazarii manu factum esse, mihi quidem non videtur improbabile. Nam memorabilis est huius libri condicio. Habet enim et glossas multas contextui appositas et in ipsis verbis nonnulla correcta, quae veriora equidem omnia esse intellexi, quam ea, quae in contextu posita sunt. Alterutrum igitur debet esse, ut ea aut in ipso illo libro Bobiensi fuerint, quod non credo, aut addiderit, qui eum descripsit. Atque omnes illae emendationes eiusmodi sunt, ut illud, quod in contextu fuerat, sit absurdum, sed leviter in margine mutatum sententiam efficiat aptissimam. Quicquid igitur in contextu et in margine discrepat, a literis male lectis manavit, additumque est ab Phaedro, opinor, qui exemplum Bobiense, Longobardicis literis scriptum, dubitans passim, quid re vera legeretur, descripsit. *) Iam vero

*) Exempla vide 1, 15; 1, 76; 1, 98; 1, 99; 1, 100;

vero in eo facile ipsius Sannazarii, viri diligentissimi, manum agnoscas, quod omnia illa cum fide repetivit, cum is codex, quo Bapt. Pius usus est, ea iam aut in contextum recepta, aut nulla omnino haberet.

Hoc igitur codice Vindobonensi, quem in annotatione critica nominavi C, ita usus sum, ut sine causa eum non deserendum esse putarem. Comparavi tamen ubique editionem alteram principem Romanam inter Varios auctores de Roma prisca et nova, editam ex aedibus Iacobi Mazocchii Romae 1523 (signavi autem E), quam ex bibliotheca regia Berolinensi accepi. Vere principem supra dictum est esse Bononiensem Ioan. Baptistae Pii, descriptam ex codice aliquo, qui ex Bobiensi exemplo manaverat. Quam cum nactus non essem, contentus fui Romana altera, quam praeter paucos typothetarum errores totam ex illa repetitam esse facile intellexi ex scripturae discrepantia, quam Wernsdorfius ex illa annotavit; nam quod is ait, Romanam esse negligenter et admodum mendose excriptam ex Bononiensi, rem videtur plus vero auxisse.*) Quam-

1, 117 et 123 et 125; 1, 130; 1, 166 etc.; et confer supra p. VIII.

*) Quod cum nunc certo intellexerim, tum multo etiam magis appareret, si ipse Bononiensem contulissem. Maxime enim in talibus erroribus hae editiones discre-

quam, ut fatear, quod sentio, non multum utilitatis habuit illa comparatio in singulis locis; adeo codicis ipsius auctoritas vel emendatam ipsam lectionem exhibebat vel emendandae rationem monstrabat. Hoc unum profuit, ut penitus mihi persuaderem, quicquid vel inter codicem et inter editionem principem discreparet, vel in ipso codice vitiosum esset, natum esse ex Bobiensis exempli literis male lectis.

Atque haec quidem de criticis subsidiis, quibus usus sum, dicenda erant; de commentario meo nihil addam. Qui qualis et esse debuerit et sit, inquirenti facile apparebit. Illud unum non existimavi esse praetereundum, ne cui forte inutiles quasdam res saepe tractasse videar, hoc mihi fuisse propositum, ut, quantum fieri poterat, unde quodque in Rutilio repetitum esset, indicarem. Constat enim, opinor, apud poëtas posteriores, qui ex sua aetate cum nihil magnopere sani repeti posse viderent, aliena exempla sequi, quam sua vitia referre malebant, late patere imitationem cum omnium superiorum poëtarum, tum Virgilii, qui in poësi princeps semper est habitus Romanae elegantiae. Idque, ut quisque aut vixit deterrima aetate, aut fuit minime sui ingenii, in eo maxime apparet. Ut in

---

pant, quas ii, qui conferunt, recte et solent et debent omittere, ne molem inutilium lectionum construant.

Lucano, in Silio Italico, in Claudiano maxima est illa imitatio, minor longe in Statio, in Ausonio. Quem quidem locum cum parum adhuc intelligerem esse exploratum, in Rutilio certe attendendum esse existimavi.

Rebus autem geographicis explicandis quamquam eam ubique impendi operam, quam debui, universum tamen iter Rutilii tabula Etruriae orae maritimae illustravit H. Kiepertus, qui qua est in hoc genere prompta scientia ac sollertia, roganti mihi facile concessit, ut adiiceret subsidium geographicum, quo intellectus huius carminis magnopere adiuvatur. Ac si quis non nomina modo urbium ac locorum eorumque situs, sed rationes quoque, quae hodie sint, ex nostrae aetatis scriptore cognoscere, itaque comparationem quandam inire volet, eum iubeo adire Fen. Cooperi, celebratissimi Anglorum scriptoris, iter Italicum. Is enim, cum Liburni navigium conduxisset, eadem prorsus ratione, qua vetus poëta, litus ubique legens et nobiliores locos visens, Neapolim petiit. Qui, ut et dicendi habet iucunditatem incredibilem, et animadvertendi ac notandi facultatem summam, ita etiam, cum minus ad antiquitatem respiceret, plurima retulit, quae ante hos mille quadringentos annos narravit Rutilius. Quem cum legerem, subiit animum meum tristis illa cogitatio, quo pacto, non dicam hominum an naturae culpa, Italiae huic parti ea

fortuna acciderit, ut ex clade, quam Rutilius deplorat, non modo non resurrexerit, sed magis etiam lapsa sit, cui dempta antiquitate quantulum relinquetur! Rutilius quattuor annis postquam Gothi Italiam vastaverunt, profectus est, cum multa ex vetustis temporibus concidissent, multa recens clades perdidisset; sed plurima multo repperit florentiora, quam hodie invenit Cooperus.

Altera disputationis nostrae pars esse debet de Rutilio eiusque carmine, in qua diximus vel supplenda esse vel repetenda breviter, quae in Observationibus explicavimus. Ac de nomine quidem poëtae, quamquam poterant ea, quae disputavimus, rem conficere, accessit nunc codicis nostri auctoritas, in quo *Rutilii Claudii Namatiani* *) carmen appellatur. Itaque res iam sic comparata est, ut Namatianus vocetur ab Summontio in epistola ad Franciscum Pudericum, quam supra laudavimus, et ab codice nostro, ut Namatius quidam, magister officiorum, anno 412 p. Chr. commemoretur in Theod. Cod. 6, 27, 15, isque, quoniam Namatiani nomen rarum erat nec multis commune, Namatianus potius fuisse videatur, hic ipse poëta, qui 1, 561 narret se ma-

*) Item libri secundi inscriptio haec est: *Rutilii claudii Namatiani de reditu suo explicit liber I. Incipit liber II.*

gistrum officiorum fuisse, ut Namatius denique aliquis, episcopus Arvernorum, posteriori tempore inveniatur apud Gregorium Turonensem hist. Franc. 2, 16 et 17 et 20, alius quidam, qui in Santonis habitabat, amicus Sidonii Apollinaris, laudetur ab hoc Epist. 8, 6, venationis idemque literarum studiosus, ut ex illa epistola intelligitur, tertius vel idem qui alter, item Gallus, celebretur epitaphio apud du Chesnium in hist. Franc. script. coëtaneis Vol. I. p. 546, et honoribus summis conspicuus et eloquentia insignis. Numatianus vero solius editoris Bononiensis auctoritate nititur, quam cognovimus in iis rebus, quae in singularum literarum ductibus sint positae, parum esse certam, et Numatiorum rara et obscura est in inscriptionibus memoria.*) Quae cum ita sint, non dubito, quin poëta fuerit Rutilius Claudius Namatianus.**)

Item quod disputavi de inscriptione carmi-

*) Praeterivi hoc loco alia nomina huius poëtae, ut *Naumatianum* Raphaëlis Volaterrani, (vide supra p. IV.) *Numantianum* Gesneri in bibliotheca s. v. et Eunccii de lect. auct. class. 3, 8 p. 36, alia, quae nulla auctoritate commendantur.

**) Editores quidem a Castalione omnes scripserunt *Claudius Rutilius*, nulla idonea causa, cum Claudii nomen recte et praeponi posse et postponi docuerimus in Observat. p. 2, nec auctoritas editionis principis temere spernenda esset.

nis, *) confirmatur iam codicis Vindobonensis inscriptione, quam supra commemoravi. Ex qua apparet illud, quod est *Ex fragmentis* et porro *e Roma in Galliam Narbonensem* non esse inventum in exemplo Bobiensi, sed additum ab eo, qui descripsit. Editio autem Bononiensis sic habet inscriptum: *Ad Venerium Rufium Rutilii Claudii Numatiani Galli, viri consularis, praefectorii urbis, tribuni militum, praefecti praetorio, liber primus, cui titulus Itinerarium,* et deinde initio libri secundi: *Rut. Claud. Numat. de reditu suo Itinerarii liber secundus.* Atqui illud, quod est *ad Venerium Rufium,* male additum esse ex 1, 422, demonstratum est suo loco; de viro consulari non recte collectum est ex 1, 118, item de tribuno militum et praefecto praetorio ex 1, 561. *Praefectorium* autem *urbis* non esse latinum dictum est in Observat. p. 12. **) Reliquum igitur est *itinerarii* nomen, quod acceperunt editores omnes praeter Reusnerum et Burmannum, qui, cum aliud vulgo appellari viderent itinerarium, aliud esse carmen Rutilianum, *iter* maluerunt inscribere. Nos neu-

---

*) Vide Observat. §. XXX.

**) Nam recte dicitur *praefectorius* vel *vir praefectorius*, ut Theod. Cod. 12, 12, 12; Sid. Apoll. Ep. 1, 7; 1, 2; 9, 2; Cassiod. Var. 6, 2 med., non recte additur *urbis*.

tro probato appellavimus *Rutilii Claudii Namatiani de reditu suo libros II.*

Sed haec quidem de nomine poëtae et carminis, in quo discessimus a superioribus; de vita Namatiani rectius iudicatum erat. Fuit autem natione Gallus, ut ipse ait 1, 19, fortasse Tolosanus, quia ea maxime pars Galliae recentem cladem, quam deplorat 1, 20—34, a Gothis passa erat, nobilitatus iam a patre Lachanio multis honoribus (1, 575 sqq.), a quibus ipse non degeneravit. Quamquam enim gradus honorum suorum non explicavit, hoc tamen significat, se magistrum officiorum fuisse (1, 561), quo honore iam supra dictum est videri eum functum esse anno 412 p. Chr. Biennio autem post urbi praefectus est et praefuit, ut videtur, per semestre fere tempus; vide Observat. p. 19. Iacuit deinde, cupiens tamen et expectans, ut iterum urbi praeficeretur (1, 427), eo, opinor, invisus imperatori, quod vetera sacra summo amore complectens christiana oderat. Severius autem tum exequi coeperat imperator, quae dudum de paganis ab omnibus magistratibus ac dignitatibus excludendis edixerat (Theod. Cod. 16, 10, 21), eademque causa fuerat, ut ipsam praefecturam urbis Rutilius aegre adeptus esset (1, 473). Quo cum accessisset clades cum totius Galliae tum suarum possessionum, quibus auxilium ferendum erat, Roma, ubi ex praefecturae tempore versatus erat,

relicta domum repetere statuit. Discessit autem X Cal. Oct., quindecim dies ventum secundum expectans sedit in portu Augusto,*) inde cum solvisset, impeditus est in itinere tempestatibus, quales esse solent autumno, ut Triturrita, quam ultimam eius novimus stationem, extremo fere mense Decembri abisse videatur (1, 633).

De ingenio autem Rutilii Namatiani primum occurrit illud, quod variis interpretum opinionibus iactatum est, veterum sacrorum studium, christianorum odium. Utrumque enim satis certum est, et fallitur utique Wernsdorfius, qui nescio quo poëtae studio ductus alterum certe hoc crimen in Namatiano diluebat. Nam illud, quod paganorum deos colebat, facilius agnoscis. Sed hoc quoque, quamvis tegatur, negari non potest. Quid enim? Qui sic ait 1, 395:

Atque utinam nunquam Iudaea subacta fuisset
  Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
  Victoresque suos natio victa premit;

et porro 1, 525, ubi de Christianorum sacris dicit, quibus cives in solitudinem ac torporem abducantur:

Num, rogo, deterior Circaeis secta venenis?
  Tunc mutabantur corpora, nunc animi,

*) Vide quae diximus cum ad 1, 183 et 201 sqq., tum in Observat. §. III.

ab eo negabimus carpi Christianos? Atque eos ut odisset, cum pervagata hominum opinione movebatur, qui Christianorum sacris imperium Romanum pessumdari, (1, 440 et 517) deletisque veteribus templis ac diis tolli tutelam rerum Romanarum (2, 51) clamitabant, tum peculiaris quaedam causa accedebat. Antiquitatis enim studium, quo incensus erat, ad Stoicam philosophiam eum deduxerat, cuius haud dubia apud eum cognoscimus vestigia (1, 19; 1, 644; 2, 32), quae necessario sic eum afficiebat, ut quicquid ab antiquis moribus desciscceretur, quae non pauca esse videbat recepta nova religione, vituperaret. Quae quidem animi affectio ut ipsi nocuerat et effecerat, ut Roma relinquenda esset, ita poëticam eius laudem admodum adiuvit. Nam eo potissimum nomine hoc carmen habet iucunditatem summam, quod undique agnoscas, vivere totum poëtam in antiquitate, nihil ducere praeclarius quam opera maiorum, nihil laudabilius, quam summas illas virtutes, quibus Romani totius orbis terrarum imperium obtinuerunt. Qnid igitur mirum, quod sua aetate spreta ad veterum imitationem se contulit? diversus tamen in eodem studio paululum a Claudiano, cum ipse non verba modo, sed res etiam veteres secutus sit, ille, qua erat vel facilitate vel levitate ingenii, veterem dicendi elegantiam ad suorum temporum tenuitatem adhibuerit. Exprobrare autem

hanc ei imitationem iniustum fuerit. Optimum est illud quidem, posse et sui ingenii esse et boni,

ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται,

ut ait ille, meritamque habeamus Rutilio gratiam, quod tanta cum caritate antiquitatis ita descripsit Romam Italiamque, ut et utilis eius sit lectio atque ad multarum rerum cognitionem fructuosissima, et ad admirationem rerum Romanarum incendat.

Scripsi Berolini a. d. X Cal. Iun. 1840.

miratur (249 — 276). Insequenti die Munionis ostium praetervectus Graviscas videt et Cosam, tandem in Herculis portum deflectit et data occasione Lepidorum gens quam perniciosa fuerit imperio Romano, docet (277 — 312). Postridie mane primum Mons Argentarius circumvehendus; deinde procul Igilium insulam videt, Umbronem flumen tangit, dum festinat, nocte oppressus, in litore sub tentoriis conquiescit (313 — 348). Ut illuxit, aegre procedit, Ilvam videt, Faleriam devertitur et rusticorum ludis tum forte Osiridis sollemnia celebrantium amoenaque regione delectatur, sed, ingrato Iudaei hospitio exceptus, quamvis adverso Borea, rursus mari se committit et Populoniae pernoctat. Ibi Ceionio Rufio Volusiano praefecturam urbis delatam esse comperit (349 — 428). Prima luce profectus Corsicam videt et Caprariam insulam, monachorum latebram, Vada Volaterrana ingreditur, vento adverso coactus appellitur ad Albini sui villam, salinas villae subiectas visit, cum Victorino congreditur (429 — 510). Sexto itineris die Gorgon insulam, in quam nuper iuvenis nobilis secesserat, praetervectus, Triturritam villam petit, cuius portum admiratur (511 — 540). Deinde, cum secundo vento abire posset, Protadium virum et nobilitate et virtute insignem, convenire mavult atque Pisas proficiscitur, ubi Lachanii patris statuam invenit, et Decii, tum consularis Etruriae, eiusque patris Lucilli, satirarum scriptoris, laudandi occasio datur (541 — 614). Reversus autem Triturritam tempestate ac vento a mari prohibetur, multorumque dierum moram venando consolatur.

mani, repetendas esse (67—72). Propter easdem merito in dearum numero haberi. Nullum certe unquam pulchrius fuisse imperium, quam hoc, cui Roma dea praesit (73—92). Quid enim? Quot et quanta sint in urbe aedificia, aut victoriarum testes aut pietatis erga deos? Quantae sint illae moles aquaeductuum? Quantum denique sit illud, quod natura ipsa aedium ratione vincatur? (93—114) Quae cum tot ac tanta possideat, ne frangatur dea animo clade nuper a Getis accepta, sed veteris suae consuetudinis memor crescat calamitate (115—140). Itaque et Getas vincat et totius orbis terrarum copiis suam inopiam sustentet (141—154). Sibi vero per si quid paulo ante praefectus urbi bene ac recte egerit, prosperum det reditum in patriam, atque etiam absentis reminiscatur (155—164). Sic precatus urbe exit, comitibus cum aliis, tum Ceionio Rufio Volusiano quaestore, praestantissimo iuvene (165—178). Quos ut dimisit, via Portuensi ad naves proficiscitur, quae ab quattuordecim milibus eo loco opperiebantur, quo Tiberis in duo brachia dividitur, dextroque flumine in portum devehitur. Sed cum ventus sit adversus, quindecim dierum mora interponitur, dum poëta et adspectu regionis Romanae fruitur et Circensium clamoribus, quos audire sibi videtur (179—204). Tandem, cum luna nova incidisset ac tempestas idonea, Palladio quoque, Exuperantii filio, proprinquo suo, dimisso, ex portu abit (205—216). Litus legens Alsium praetervehitur et Pyrgos, et Caeretanum agrum et Castrum, quod Inui esse putat (217—236). Centumcellas devectus pernoctare statuit, portuque lustrato (237—248) Thermas Taurianas visit Messalaeque, oratoris nobilis, carmen, quo fontes illi celebrantur, ad-

miratur (249 — 276). Insequenti die Munionis ostium praetervectus Graviscas videt et Cosam, tandem in Herculis portum deflectit et data occasione Lepidorum gens quam perniciosa fuerit imperio Romano, docet (277 — 312). Postridie mane primum Mons Argentarius circumvehendus; deinde procul Igilium insulam videt, Umbronem flumen tangit, dum festinat, nocte oppressus, in litore sub tentoriis conquiescit (313 — 348). Ut illuxit, aegre procedit, Ilvam videt, Faleriam devertitur et rusticorum ludis tum forte Osiridis sollemnia celebrantium amoenaque regione delectatur, sed, ingrato Iudaei hospitio exceptus, quamvis adverso Borea, rursus mari se committit et Populoniae pernoctat. Ibi Ceionio Rufio Volusiano praefecturam urbis delatam esse comperit (349 — 428). Prima luce profectus Corsicam videt et Caprariam insulam, monachorum latebram, Vada Volaterrana ingreditur, vento adverso coactus appellitur ad Albini sui villam, salinas villae subiectas visit, cum Victorino congreditur (429 — 510). Sexto itineris die Gorgon insulam, in quam nuper iuvenis nobilis secesserat, praetervectus, Triturritam villam petit, cuius portum admiratur (511 — 540). Deinde, cum secundo vento abire posset, Protadium virum et nobilitate et virtute insignem, convenire maluit atque Pisas proficiscitur, ubi Lachanii patris statuam invenit, et Decii, tum consularis Etruriae, eiusque patris Lucilli, satirarum scriptoris, laudandi occasio datur (541 — 614). Reversus autem Triturritam tempestate ac vento a mari prohibetur, multorumque dierum moram venando consolatur.

Desunt pauca.

Velocem potius reditum mirabere, lector,
Tam cito Romuleis posse carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus aevo?
Nil unquam longum est, quod sine fine placet.
O, quantum et quotiens possum numerare, beatos, 5
Nasci felici qui meruere solo!
Qui Romanorum procerum generosa propago
Ingenitum cumulant urbis honore decus!
Semina virtutum demissa et tradita coelo
Non potuere aliis dignius esse locis. 10
Felices etiam, qui proxima munera primis
Sortiti Latias obtinuere domos!
Relligiosa patet peregrinae curia laudi,
Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio collegarumque fruuntur, 15
Et partem genii, quem venerantur, habent:
Quale per aetherios mundani vorticis axes
Concilium summi credimus esse dei.

Varietas scripturae.

3. E. tot. 5. E. W. quoties possem. 6. E. faelici, ut ubique. 12. C. optinuere. 13. C. E. W. religiosa. 14. E. quo. 15. C. feruntur; in margine, quod edidimus. 17. E. quare per C. etherios. C. E. W. verticis. 18. E. W. conuubium.

At mea dilectis fortuna revellitur oris,
  Indigenamque suum Gallica rura vocant: 20
Illa quidem longis nimium deformia bellis,
  Sed quam grata minus, tam miseranda magis.
Securos levius crimen contemnere cives:
  Privatam repetunt publica damna fidem.
Praesentes lacrimas tectis debemus avitis, 25
  Prodest admonitus saepe dolore labor.
Nec fas ulterius longas nescire ruinas,
  Quas mora suspensae multiplicavit opis.
Iam tempus, laceris post saeva incendia fundis
  Vel pastorales aedificare casas. 30
Ipsi quin etiam fontes si mittere vocem,
  Ipsaque si possent arbuta nostra loqui,
Cessantem iustis poterant urguere querelis,
  Et desideriis addere vela meis.

Iamiam, laxatis carae complexibus urbis, 35
  Vincimur et serum vix toleramus iter.
Electum pelagus, quoniam terrena viarum
  Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.
Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger,
  Perpessus Geticas ense vel igne manus, 40
Non silvas domibus, non flumina ponte coërcet,
  Incerto satius credere vela mari.

Crebra relinquendis infigimus oscula portis,
  Inviti superant limina sacra pedes.

---

25. C. E. lachrymas. 29. E. W. longa incendia. 33. E. W. urgere. 34. E. W. reddere vela. 39. E. Aurellius. 41. C. sylvas; C. E. cohercet.

Oramus veniam lacrimis et laude litamus, 45
In quantum fletus currere verba sinit:

Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos!
Exaudi, genitrix hominum genitrixque deorum!
Non procul a coelo per tua templa sumus. 50
Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus;
Sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata oblivia solem,
Quam tuus ex nostro corde recedat honos.
Nam solis radiis aequalia munera tendis, 55
Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus,
Eque tuis ortos in tua condit equos.
Te non flammigeris Libye tardavit arenis,
Non armata suo reppulit ursa gelu. 60
Quantum vitalis natura tetendit in axes,
Tantum virtuti pervia terra tuae.
Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit iniustis, te dominante, capi;
Dumque offers victis proprii consortia iuris, 65
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.
Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,
Aeneadum matrem, Romulidumque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires,
Convenit in mores numen utrumque tuos. 70
Hinc tibi certandi, bona parcendique voluptas
Quos timuit, superat, quos superavit, amat.

---

45. C. E. lachrymis. 48. E. sydereos. 58. E. ortus. 59. C. flamigeris lybie; E. Libiae; C. E. harenis. 60. C. E. repulit. 70. C. E. nomen.

Inventrix oleae colitur vinique repertor,
Et qui primus humo pressit aratra puer.
Aras Paeoniam meruit medicina per artem, 75
Factus et Alcides nobilitate deus.
Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis,
Foedere communi vivere cuncta facis.
Te, déa, te celebrat Romanus ubique recessus,
Pacificoque gerit libera colla iugo. 80
Omnia perpetuos quae servant sidera motus,
Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid simile Assyriis? Connectere contigit armis
Medi finitimos cum domuere suos.
Magni Parthorum reges Macetumque tyranni 85
Mutua per varias iura dedere vices.
Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,
Sed plus consilii iudiciique fuit.
Iustis bellorum causis nec pace superba
Nobilis ad summas gloria venit opes. 90
Quod regnas, minus est, quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.
Percensere labor densis decora alta tropaeis,
Ut si quis stellas pernumerare velit,
Confunduntque vagos delubra micantia visus: 95
Ipsos crediderim sic habitare deos.
Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?

---

76. E. fractus; C. fretus; in margine factus. Paulo post C. donis, cui eraso suprascriptum deus. 81. E. sydera. 83. E. quid simile assyriis connectere contigit arma. W. quid simile? Assyriis connectere contigit arva. 85. C. E. macedumque. 87. E. animeque. 89. W. caussis. 92. E. grandia facta. 93. persensere-trophaeis. 96. E. ipso. 98. C. tolerat, in margine tollerat, tolleret.

Hos potius dicas crevisse in sidera montes:
  Tale giganteum Graecia laudet opus. 100
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
  Consumunt totos celsa lavacra lacus.
Nec minus et propriis celebrantur roscida venis,
  Totaque nativo moenia fonte sonant.
Frigidus aestivas hinc temperat halitus auras, 105
  Innocuamque levat purior unda sitim.
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
  Rupit Tarpeias, hoste premente, vias.
Si foret aeternus, casum fortasse putarem:
  Auxilio fluxit, qui rediturus erat. 110
Quid loquar inclusas inter laquearia silvas,
  Vernula qua vario carmine ludit avis?
Vere tuo nunquam mulceri desinit annus,
  Deliciasque tuas victa tuetur hiems.

Erige crinales lauros, seniumque sacrati 115
  Vorticis in virides, Roma, refinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
  Perpetuosque ignes aureus umbo vomat.
Abscondat tristem deleta iniuria casum,
  Contemptus solidet vulnera clausa dolor. 120
Adversis sollemne tuis sperare secunda,
  Exemplo coeli ditia damna subis.
Astrorum flammae renovant occasibus ortus,
  Lunam finiri cernis, ut incipiat.

---

99. C. sidere, in margine sidera. 100. E. W. laudat; C. lauda(e)t. E. gigantaeum. 102. E. lavachra. 112. E. vernulaque-ludat. 114. C. hyems. 116. C. E. verticis-recinge. 117. C. radiant, in margine radient. 119. C. abscundat. 121. E. adversus solem ne vis; C. solem ne vis. 122. E. coelo. 123. C. novant, in margine renovant.

Victoris Brenni non distulit Allia poenam, 125
Samnis servitio foedera saeva luit.
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti,
Flevit successus Hannibal ipse suos.
Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt,
Exiliuntque imis altius acta vadis. 130
Utque novas vires fax inclinata resumit,
Clarior ex humili sorte superna petis.
Porrige victuras Romana in saecula leges,
Solaque fatales non vereare colos,
Quamvis, sedecies denis et mille peractis, 135
Annus praeterea iam tibi nonus eat.
Quae restant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terrae, dum polus astra feret.
Illud te reparat, quod cetera regna resolvit:
Ordo renascendi est crescere posse malis. 140
Ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getae.
Ditia pacatae dent vectigalia terrae,
Impleat augustos barbara praeda sinus.
Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet, 145
Altricemque suam fertilis orbis alat.
Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.
Interea et Latiis consurgant horrea sulcis,
Pinguiaque Hesperio nectare prela fluant. 150
Ipse, triumphali redimitus arundine, Tibris

---

125. E. Breni-paenum. C. poenum, in margine poenam. 127. E. Pirrhum. 128. E. W. Annibal. 129. E. nixu. 130. E. altius alta; C. idem, sed in margine altius acta. 133. C. E. secula. 134. W. colus. 135. C. sexdecies (?). 145. E. tibi renus. 148. C. hibre tuo. 149. E. W. Interea Latiis. 151. C. E. Tybris.

Romuleis famulas classibus aptet aquas,
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.

Pande, precor, gemino placatum Castore pontum, 155
Temperet aequoream dux Cytherea viam,
Si non displicui, regerem cum iura Quirini,
Si colui sanctos consuluique patres.
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit praefecti gloria, sed populi. 160
Sive datur patriis vitam componere terris,
Sive oculis unquam restituere meis,
Fortunatus agam votoque beatior omni,
Semper digneris si meminisse mei.

His dictis iter arripimus. Comitantur amici. 165
Dicere non possunt lumina sicca vale.
Iamque aliis Romam redeuntibus, haeret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris.
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen
Et reges Rutulos, teste Marone, refert. 170
Huius facundae commissa palatia linguae,
Primaevus meruit principis ore loqui.
Rexerat ante puer populos pro consule Poenos,
Aequalis Tyriis terror amorque fuit.
Sedula promisit summos imitatio fasces, 175
Si fas est meritis fidere, consul erit.
Invitum tristis tandem remeare coegi,
Corpore divisos mens tamen una tenet.

---

152. E. ossibus; W. usibus. 153. C. E. comertia. 155. C. portum. 157. E. cui, C. cum. 165. C. E., ut edidimus, arripimus. 166. C. dicere non possum(t) lumine(a) sicco(a) vale. E. W. non possum sicca dicere luce vale. 175. C. imitantia, in margine imitatio. 178. C. divisos-ter et, in margine tenet; E. W. diviso-fuit.

Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
  Dividuus Tiberis dexteriora secat. 180
Laevus inaccessis fluvius vitatur arenis,
  Hospitis Aeneae gloria sola manet.
Et iam nocturnis spatium laxaverat horis
  Phoebus, chelarum pallidiore polo:
Cunctamur tentare salum, portuque sedemus, 185
  Nec piget oppositis otia ferre moris,
Occidua infido dum saevit gurgite Plias,
  Dumque procellosi temporis ira cadit.
Respectare iuvat vicinam saepius urbem
  Et montes visu deficiente sequi. 190
Quaque duces oculi, grata regione fruuntur,
  Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.
Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
  Qui dominas arces et caput orbis habet:
Quamquam signa levis fumi commendat Homerus, 195
  Dilecto quotiens surgit in astra solo.
Sed coeli plaga candidior, tractusque serenus
  Signat septenis culmina clara iugis.
Illic perpetui soles, atque ipse videtur,
  Quem sibi Roma facit, purior esse dies. 200
Saepius attonitae resonant Circensibus aures,
  Nuntiat accensus plena theatra favor.
Pulsato notae redduntur ab aethere voces,
  Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi ter quinque diebus, 205
  Dum melior lunae fideret aura novae.

---

180. C. E. Tyberis. 183. C. spacium. 185. E. solum. 186. C. E. ocia. 192. C. capiunt, in margine cupiunt. 196. E. W. quoties. 197. C. tractuque, in margine tractusque. 203. E. ad aetherá.

Tum discessurus studiis urbique remitto
  Palladium, generis spemque decusque mei.
Facundus iuvenis Gallorum nuper ab oris
  Missus, Romani discere iura fori. 210
Ille meae secum dulcissima vincula curae,
  Filius affectu, stirpe propinquus, habet.
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
  Nunc postliminium pacis amare docet;
Leges restituit, libertatemque reducit, 215
  Et servos famulis non sinit esse suis.

Solvimus aurorae dubio, quo tempore primum
  Agnosci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per litora proxima cymbis,
  Quarum perfugio crebra pateret humus. 220
Aestivos penetrent oneraria carbasa fluctus,
  Tutior auctumnus mobilitate fugae.
Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt,
  Nunc villae grandes, oppida parva prius.
Iam Caeretanos demonstrat navita fines, 225
  Aevo deposuit nomen Agylla vetus.
Stringimus [hinc exesum] et fluctu et tempore Castrum.
  Index semiruti porta vetusta loci.
Praesidet exigui formatus imagine saxi,
  Qui pastorali cornua fronte gerit. 230
Multa licet priscum nomen deleverit aetas,
  Hoc Inui castrum fama fuisse putat.

---

208. E. Palladiam. 211. C. cune. E. cunnae. 213. C. ore medicas, in margine anemoricas. 214. E. amore. 219. C. E. littora. 220. C. crebre, sed e mutatum in a. 222. C. E. autumnus; E. nobilitate. 223. E. Pyrrhique. 225. E. Ceretanos. 227. C. E. stringimus ..... et fluctu cum lacuna. 230. E. W. nomina fronte.

Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis,
  Sive sinus patrios incola Faunus init:
Dum renovat largo mortalia semina fetu, 235
  Fingitur in Venerem pronior esse deus.

Ad Centumcellas forti defleximus austro.
  Tranquilla puppes in statione sedent.
Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum,
  Angustosque aditus insula facta tegit; 240
Attolit geminas turres, bifidoque meatu
  Faucibus artatis, pandit utrumque latus.
Nec posuisse satis laxo navalia portu;
  Ne vaga vel tutas ventilet aura rates,
Interior medias sinus invitatus in aedes 245
  Instabilem fixis aëra nescit aquis:
Qualis in Euboicis captiva natatibus unda
  Sustinet alterno brachia lenta sinu.

Nosse iuvat Tauri dictas de nomine Thermas,
  Nec mora difficilis milibus ire tribus. 250
Non illic gustu latices vitiantur amaro,
  Lymphave fumifico sulphure tincta calet.
Purus odor mollisque sapor dubitare lavantem
  Cogit, qua melius parte petantur aquae.
Credere si dignum famae, flagrantia taurus 255
  Investigato fonte lavacra dedit,
Ut solet excussis pugnam praeludere glebis,
  Stipite cum rigido cornua prona terit:
Sive deus, faciem mentitus et arma iuvenci,

---

233. C. immutant, deleta prima syllaba im. E. maenalia silvis. 235. C. scribendi errore longo mortalia. 237. E. haustro. 242. C. arctatus. E. arctatis. 248. E. W. lenta sono; idem C., sed in margine sinu. 250. C. millibus. 251. E. latles. 252. C. E. W. lymphaque. E. sulphura. 253. C. E. labantem, scribendi errore. 259. E. W. ora iuvenci.

Noluit ardentis dona latere soli, 260
Qualis, Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta, virgineum sollicitavit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios.
Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas simili credamus origine nymphas: 265
Musarum latices ungula fodit equi.
Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messalae nobilitatus ager,
Intrantemque capit, discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poëma sacris. 270
Hic est, qui primo seriem de consule ducit,
Usque ad Publicolas si redeamus avos.
Hic et praefecti nutu praetoria rexit;
Sed menti et linguae gloria maior inest.
Hic docuit, qualem poscat facundia sedem, 275
Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.

Roscida puniceo fulsere crepuscula coelo:
Pandimus obliquo lintea flexa sinu.
Paulisper fugimus litus Munione vadosum,
Suspecto trepidant ostia parva solo. 280
Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
Quas premit aestivae saepe paludis odor.
Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas, nullo custode, ruinas 285
Et desolatae moenia foeda Cosae.
Ridiculam cládis pudet inter seria causam
Promere, sed risum dissimulare piget.

---

265. W. lymphas. 266. W. Musarum ut latices. 277. E. rosida. 278. E. linthea. 279. W. Paullisper-Minione. 280. E. hostia. 282. E. aestive. 287. E. putet.

Dicuntur cives quondam, migrare coacti,
  Muribus infestos deseruisse lares. 290
Credere maluerim Pygmaeae damna cohortis,
  Et coniuratas in sua bella grues.
Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus.
  Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia sermo retexit 295
  Sardoam, Lepido praecipitante, fugam.
Litore namque Cosae cognatos depulit hostes
  Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior, civilibus armis
  Qui gessit sociis impia bella tribus, 300
Qui libertatem, Mutinensi Marte receptam,
  Obruit auxiliis, urbe pavente, novis.
Insidias paci moliri tertius ausus
  Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus, Caesareo dum vult irrepere regno, 305
  Incesti poenam solvit adulterii.
Nunc quoque — Sed melius de nostris fama queretur,
  Iudex posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores?
  Moribus an potius nomina certa dari? 310
Quicquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
  Quod Lepidum totiens reccidit ense malum.

Necdum decessis pelago permittimur umbris.
  Natus vicino vortice ventus adest.

---

291. C. E. Pygmeae. 297. C. E. Littore. 302. E. urbe favente. W. orbe pavente. 305. C. inrepere. 307. W. queratur. 312. C. W. toties recidit. 313. E. permittitur. 314. W. vertice.

Tenditur in medias Mons Argentarius undas, 315
Ancipitique iugo caerula curva premit.
Transversos colles bis ternis milibus artat,
Circuitu ponti ter duodena patet:
Qualis per geminos fluctus Ephyreïus Isthmos
Ionias bimari litore findit aquas. 320
Vix circumvehimur sparsae dispendia rupis,
Nec sinuosa gravi cura labore caret.
Mutantur totiens vario spiramina flexu;
Quae modo profuerant vela, repente nocent.
Eminus Igilii silvosa cacumina miror: 325
Quam fraudare nefas laudis honore suae.
Haec proprios nuper tutata est insula saltus
Sive loci ingenio, seu domini genio,
Gurgite cum modico victricibus obstitit armis,
Tamquam longinquo dissociata mari. 330
Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos.
Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populaverat aequora bello
Contra naturam classe timendus eques.
Unum mira fides vario discrimine portum 335
Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.
Tangimus Umbronem. Non est ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis semper patet alveus undis,
In pontum quotiens saeva procella ruit. 340
Hic ego tranquillae volui succedere ripae,
Sed nautas, avidos longius ire, sequor.

Sic

317. C. arctat. 319. E. Istmos. 233. C. E. W. toties. 324. E. non profuerant. W. nunc profuerant. 326. E. nephas. 329. W. gurgite quum. 338. C. toto (?). Idem W. 340. E. quoties. 342. E. avidas.

Sic festinantem ventusque diesque reliquit;
  Nec proferre pedem nec revocare licet.
Litorea noctis requiem metamur arena, 345
  Dat vespertinos myrtea silva focos.
Parvula subiectis facimus tentoria remis;
  Transversus subito culmine contus erat.

Lux aderat. Tonsis progressi stare videmur;
  Sed cursum prorae terra relicta probat. 350
Occurrit Chalybum memorabilis Ilva metallis,
  Qua nihil uberius Norica gleba tulit.
Non Biturix largo potior strictura camino,
  Nec quae Sardonico cespite massa fluit.
Plus confert populis ferri fecunda creatrix, 355
  Quam Tartessiaci glarea fulva Tagi.
Materies vitiis aurum letale parandis:
  Auri caecus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera taedas,
  Virgineosque sinus aureus imber emit. 360
Auro victa fides munitas decipit urbes:
  Auri flagitiis ambitus ipse furit.
At contra ferro squalentia rura coluntur:
  Ferro vivendi prima reperta via est.
Saecula semideum, ferrati nescia Martis, 365
  Ferro crudeles sustinuere feras.
Humanis manibus non sufficit usus inermis,
  Si non sint aliae, ferrea tela, manus.
His mecum pigri solabar taedia venti,
  Dum resonat variis vile celeuma modis. 370

343. W. festinantes, idem paulo post errore relinquit. 345. C. E. littorea. 346. E. myrthea. 351. C. calybum. 352. W. nil. 354. E. Sardonio-masse. W. Sardoo. 355. E. foecunda. 356. C. Tartesiaci. 363. E. fero. 365. C. inertia, in margine nescia. 369. E. sanabar. 370. W. celeusma.

Lassatum cohibet vicina Faleria cursum,
  Quamquam vix medium Phoebus haberet iter.
Et tum forte hilares per compita rustica pagi
  Mulcebant sacris pectora fessa iocis.
Illo quippe die tandem renovatus Osiris 375
  Excitat in fruges germina laeta novas.
Egressi villam petimus lucoque vagamur:
  Stagna placent septo deliciosa vado.
Ludere lascivos intra vivaria pisces
  Gurgitis inclusi laxior unda sinit. 380
Sed male pensavit requiem stationis amoenae
  Hospite conductor dirior Antiphate.
Namque loci querulus curam Iudaeus agebat,
  Humanis animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas, 385
  Damnaque libatae grandia clamat aquae.
Reddimus obscenae convicia debita genti,
  Quae genitale caput propudiosa metit.
Radix stultitiae: cui frigida sabbata cordi,
  Sed cor frigidius relligione sua. 390
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
  Tamquam lassati mollis imago dei.
Cetera mendacis deliramenta catastae .
  Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam nunquam Iudaea subacta fuisset 395
  Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
  Victoresque suos natio victa premit.

---

371. W. laxatum. 372. E. quanquam. 373. E. rustica fagi. 375. E. Osyris. 377. E. petimusque lutoque vagamur. W. petimus ludeque vacamus. 378. E. W. deliticsa. 379. C. E. inter vivaria. 382. C. E. W. durior. 387. E. oscenae; C. obscaenae. 390. E. W. sua est.

Adversus surgit Boreas, sed nos quoque remis
  Surgere certamus, cum tegit astra dies. 400
Proxima securum reserat Populonia litus,
  Qua naturalem ducit in arva sinum.
Non illic positas extollit in aethera moles
  Lumine nocturno conspicienda pharos,
Sed speculum validae rupis sortita vetustas, 405
  Qua fluctus domitos arduus urguet apex,
Castellum geminos hominum fundavit in usus,
  Praesidium terris, indiciumque fretis.
Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris,
  Grandia consumpsit moenia tempus edax. 410
Sola manent interceptis vestigia muris,
  Ruderibus latis tecta sepulta iacent.
Non indignemur mortalia corpora solvi:
  Cernimus exemplis oppida posse mori.

Laetior hic nostras crebrescit fama per auras, 415
  Consilium Romam paene redire fuit.
Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis
  Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
  Sed quosdam refugit regula dura pedes. 420
Cognomen versu *Veneris*, carissime Rufi:
  Illo te dudum pagina nostra canit.
Festa dies, pridemque meos dignata penates
  Poste coronato vota secunda colat:
Exornent virides communia gaudia rami, 425

---

400. W. dum tegit. 401. C (?). E. littus. 405. E. speculum valide. 406. E. W. urget. 407. E. fraudavit. 409. E. monimenta, ut infra v. 517. 412. W. late tecta. 413. W. nos indignemur-solvi? 417. C. cognovimus, correctum cognoscimus. 421. W. veniat, carissime. 425. C. exornant, correctum exornent.

Provecta est animae portio magna meae.
Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas:
Per quem malueram, rursus honore fruor.

Currere curamus velis, Aquilone reverso,
Cum primum roseo fulsit Eous equo. 430
Incipit obscuros ostendere Corsica montes,
Nubiferumque caput concolor umbra levat.
Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu,
Defessisque oculis luna reperta latet.
Haec ponti brevitas auxit mendacia famae: 435
Armentale ferunt quippe natasse pecus.
Tempore Cyrnaeas quo primum venit in oras
Forte secuta vagum femina Corsa bovem.

Processu pelagi iam se Capraria tollit.
Squalet lucifugis insula plena viris. 440
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.
Munera fortunae metuunt, dum damna verentur.
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quaenam perversi rabies tam stulta cerebri, 445
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt ex fato ergastula poenas,
Tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus: 450
Nam iuveni offenso saevi post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.

---

428. E. W. fruar. 431. E. Cosica. 433. C. hic, correctum sic. 440. E. squallet. 441. C. E. monacos. 445. E. quae nam. 449. C. W. adsignavit. 450. E. Bellerophonthaeis.

In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
Ingressus dubii tramitis alta lego.
Despectat prorae custos clavumque sequentem. 455
Dirigit et puppim voce monente regit.
Incertas gemina discriminat arbore fauces,
Defixasque offert limes uterque sudes.
Illis proceras mos est annectere lauros,
Conspicuas ramis et fruticante coma, 460
Ut, praebente viam densi symplegade limi,
Servet inoffensas semita clara notas.
Illic me rapidus consistere corus adegit,
Qualis silvarum frangere lustra solet.
Vix tuti domibus saevos toleravimus imbres. 465
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo subiunxit honori,
Per quem iura meae continuata togae.
Non expectatos pensavit laudibus annos,
Vitae flore puer, sed gravitate senex. 470
Mutua germanos iunxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Praetulit ille meas, cum vincere posset, habenas,
At decessoris maior amore fuit.
Subiectas villae vacat aspectare salinas. 475
Namque hoc censetur nomine salsa palus,
Qua mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidosque lacus parvula fossa rigat.
Ast, ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Cum pallent herbae, cum sitit omnis ager: 480
Tum cataractarum claustris excluditur aequor,

---

457. C. E. incertus. 464. E. W. praebente algam. 474. C. ad (nte) decessoris. E. W. praedecessoris. 479. C. Syrius. 481. C. E. cum catharactarum.

Ut fixos latices torrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phoebum,
Et gravis aestivo crusta calore coit:
Haud aliter quam cum glacie riget horridus Ister, 485
Grandiaque astricto flumine plaustra vehit.
Rimetur solitus naturae expendere causas,
Inque pari dispar fomite quaerat opus:
Vincta fluenta gelu conspecto sole liquescunt,
Et rursus liquidae sole gelantur aquae. 490

O quam saepe malis generatur origo bonorum!
Tempestas dulcem fecit amara moram,
Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis,
Congressu explevit mutua vota suo,
Errantem Tuscis considere compulit agris 495
Et colere externos capta Tolosa lares.
Nec tantum duris nituit sapientia rebus,
Pectore non alio prosperiora tulit.
Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule
Et quaecunque ferox arva Britannus arat, 500
Qua praefectorum vicibus frenata potestas
Perpetuum magni foenus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tamquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmae est illos inter voluisse placere, 505
Inter quos minor est displicuisse pudor.
Illustris nuper sacrae comes additus aulae
Contempsit summos ruris amore gradus.

---

482. E. horrida. C. horrida, in margine torrida. 485. C. Hister. 487. C. E. solitas natura. 489. C. E. iuncta. 496. E. excollere. 498. E. pectora. 499. E. consulis Oceanus. C. Tyle. 500. E. quicunque. C. quaecunque. 508. W. contemsit.

Hunc ego complexus ventorum adversa fefelli,
  Dum videor patriae iam mihi parte frui. 510

Lutea protulerat sudos aurora iugales:
  Antennas tendi litoris aura iubet.
Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,
  Mollia securo vela rudente tremunt.
Assurgit ponti medio circumflua Gorgon 515
  Inter Pisanum Cyrniacumque latus.
Adversus scopulus, damni monumenta recentis.
  Perditus hic vivo funere civis erat.
Noster enim nuper iuvenis, maioribus amplis,
  Nec censu inferior, coniugiove minor, 520
Impulsus furiis homines divosque reliquit,
  Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuvie coelestia pasci,
  Seque premit laesis saevior ipse deis.
Num, rogo, deterior Circaeis secta venenis? 525
  Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Inde Triturritam petimus. Sic villa vocatur,
  Quae latet expulsis insula paene fretis.
Namque manu iunctis procedit in aequora saxis,
  Quique domum posuit, condidit ante solum. 530
Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
  Pisarum emporio divitiisque maris.
Mira loci facies. Pelago pulsantur aperto
  Inque omnes ventos litora nuda patent.
Non ullus tegitur per brachia tuta recessus, 535

---

511. C. Luthea. 512. C. antemnas. E. littoris undu. 515. C. adsurgit. 516. E. Cyrnaicumque. 517. E. C. adversus scopulos; W. aversor scopulos. 522. W. exul amat. 528. W. quae iacet. 533. C. E. W. pulsatur. 535. C. E. non nullus.

Aeolias possit qui prohibere minas:
Sed procera suo praetexitur alga profundo,
Molliter offensae non nocitura rati;
Et tamen insanas cedendo interrigat undas,
Nec sinit ex alto grande volumen agi. 540

Tempora navigii clarus reparaverat eurus,
Sed mihi Protadium visere cura fuit.
Quem qui forte velit certis cognoscere signis,
Virtutis specimen corde vidente petat.
Nec magis efficiet similem pictura colore, 545
Quam quae de meritis mixta figura venit.
Aspicienda procul certo prudentia vultu,
Formaque iustitiae suspicienda micat.
Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem,
Testis Roma sui praesulis esse potest. 550
Substituit patriis mediocres Umbria sedes:
Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
Pro parvis animo magna fuere suo.
Exiguus regum rectores cespes habebat, 555
Et Cincinnatos iugera pauca dabant.
Haec etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani Fabriciique foco.

Puppibus ergo meis fida in statione locatis,
Ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes. 560
Praebet equos, offert etiam carpenta tribunus,
Ex commilitio carus et ipse mihi,
Officiis regerem cum regia tecta magister,
Armigerasque pii principis excubias.

---

536. E. possint. 539. W. interligat. 544. E. W. virtutis speciem. 545. C. E. W. colorem. 552. E. utraque. 555. W. exiguus rerum. 557. W. ferantur.

Alpheae veterem contemplor originis urbem, 565
Quam cingunt geminis Arnus et Ausur aquis.
Conum pyramidis coëuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta solo;
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit. 570
Ante diu, quam Troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.
Hic oblata mihi sancti genitoris imago, 575
Pisani proprio quam posuere foro.
Laudibus amissi cogor lacrimare parentis,
Fluxerunt madidis gaudia moesta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
Fascibus et senis credita iura dedit. 580
Narrabat, memini, multos emensus honores,
Tuscorum regimen plus placuisse sibi.
Nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum
Nec ius quaesturae grata fuisse magis.
Ipsam, si fas est, postponere praefecturam 585
Pronior in Tuscos non dubitabat amor.
Nec fallebatur. Tam carus et ipse probatis:
Aeternas grates mutua cura canit,
Constantemque sibi pariter mitemque fuisse
Insinuant natis, qui meminere, senes. 590
Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
Gaudent et duplici sedulitate fovent.
Haec eadem, cum Flaminiae regionibus irem,

---

565. E. Alphae. 566. W. Auser. 575 — 578. desunt in E. 577. C. lachrimare. 593. E. Flamminiae.

Splendoris patrii saepe reperta fides.
Famam Lachanii veneratur numinis instar 595
Inter Tyrrhigenas Lydia tota suos.

Grata bonis priscos retinet provincia mores,
Dignaque rectores semper habere bonos,
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos arva beata regit, 600
Nec mirum, magni si redditus indole nati
Felix tam simili posteritate pater.
Huius vulnificis satira ludente Camenis
Nec Turnus potior nec Iuvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem, 605
Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.
Non olim sacri iustissimus arbiter auri
Circumsistentes reppulit Harpyias?
Harpyias, quarum discerpitur unguibus orbis,
Quae pede glutineo, quod tetigere, trahunt, 610
Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum,
Inter custodum publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareïa praeda fefellit,
Totque simul manibus restitit una manus.

Iamque Triturritam Pisaea ex urbe reversus 615
Aptabam nitido pendula vela noto,
Cum subitis tectus nimbis insorduit aether;
Sparserunt radios nubila rupta vagos.
Substitimus. Quis enim sub tempestate maligna

---

594. C. patris saepe. 595. C. E. nominis instar. 596. C. terrigenas (?) E. turrigenas. 603. E. Camoenis. 604. E. patior. 605. E. instituit. 608. E. circonsistentes. 609. C. E. W. decerpitur. 612. E. W. inter custodes; idem C., sed in margine, quod edidimus. 615. C. E. Trituritam, ut supra v. 527. 616. vela Notho.

Insanituris audeat ire fretis? 620
Otia vicinis terimus navalia silvis,
Sectandisque iuvat membra movere feris.
Instrumenta parat venandi villicus hospes
Atque olidum doctas nosse cubile canes.
Funditur insidiis et rara fraude plagarum 625
Terribilisque cadit fulmine dentis aper,
Quem Meleagreï vereantur adire lacerti,
Qui laxet nodos Amphitryoniadae.
Tum responsuros persultat buccina colles,
Fitque reportando carmine praeda levis. 630
Interea madidis non desinit Africus alis
Continuos picea nube negare dies.
Iam matutinis Hyades occasibus udae:
Iam latet hiberno conditus imbre Lepus,
Exiguum radiis, sed magnis fluctibus astrum, 635
Quo madidam nullus navita linquit humum.
Namque procelloso subiungitur Oarioni,
Aestiferumque canem roscida praeda fugit.
Vidimus excitis pontum flavescere arenis,
Atque eructato vortice rura tegi: 640
Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,
Destituenda vago cum premit arva salo,
Sive alio refluus nostro colliditur orbe,
Sive corusca suis sidera pascit aquis.

---

621. C. ocia. 624. C. canis. 627. E. quam Meleagraei; C. Meleagraei. 629. E. bucina. 630. E. reportanda. 634. E. hyberno-hymbre. 635. W. magnum fluctibus. 643. C. conliditur.

RUTILII CLAUDII NAMATIANI

DE REDITU SUO

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

In duos libros se divisisse ait carmen suum, ne lector ex perpetuitate narrationis fastidium caperet (1—10). Idoneam tandem tempestatem nactus ex portu Pisano proficiscitur, Apenninum conspicit, Italiae formam describit (11—40). Quae cum a diis ipsis contra barbarorum impetus munita esse videatur, excurrit in execrationem Stilichonis, quod barbaros in imperium Romanum receperit Romamque prodiderit (41—60). Reversus autem in cursum carminis Lunam se appulsum esse ait, eiusque marmora laudat.

Nondum longus erat nec multa volumina passus,
  Iure suo poterat longior esse liber.
Taedia continuo timuit cessura labori,
  Sumere ne lector iuge paveret opus.
Saepe cibis affert serus fastidia finis. 5
  Gratior est modicis haustibus unda siti.
Intervalla viae fessis praestare videtur,
  Qui notat inscriptus milia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
  Quem satius fuerat sustinuisse semel. 10

Tandem nimbosa maris obsidione solutis
  Pisano portu contigit alta sequi.
Arridet placidum radiis crispantibus aequor,
  Et sulcata levi murmurat unda sono.
Incipiunt Apennini devexa videri, 15
  Qua fremit aërio monte repulsa Thetis.
Italiam, rerum dominam, qui cingere visu
  Et totam pariter cernere mente velit,
Inveniet quernae similem procedere frondi,
  Artatam laterum conveniente sinu. 20

---

1. C. non dum. 3. W. timui. 6. C. hausibus unda sitis, in margine siti. 8. C. millia. 12. W. Pisano e porta. 13. E. adridet. 15. C. Appennini. E. Apponini.

Milia per longum decies centena teruntur
  A Ligurum terris ad freta Sicaniae.
In latum variis damnosa anfractibus intrat
  Tyrrheni rabies Hadriacique salis.
Qua tamen est iuncti maris angustissima tellus, 25
  Triginta et centum milia sola patet.
Diversas medius mons obliquatur in undas,
  Qua fert atque refert Phoebus uterque diem:
Urguet Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
  Caerulaque occidois frangit Etrusca iugis. 30
Si factum certa mundum ratione fatemur,
  Consiliumque dei machina tanta fuit:
Excubiis Latiis praetexuit Apenninum,
  Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura, parumque putavit 35
  Arctois Alpes opposuisse minis:
Sicut vallavit multis vitalia membris,
  Nec semel inclusit, quae pretiosa tulit.
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
  Sollicitosque habuit Roma futura deos. 40
Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
  Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
  Crudelis summis miscuit ima furor,
Dumque timet, quicquid se fecerat ipse timeri, 45
  Immisit Latiae barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
  Illatae cladis liberiore dolo.

---

21. C. millia. 24. E. W. Adriacique. 26. C. millia. 29. E. W. urget. 30. C. ethrusca. 33. W. Latii praetexuit. C. Appenninum. E. Appeninum. 41. E. Stilicenis. 42. E. quod fuit.

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,
  Et captiva prius, quam caperetur, erat. 50
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis.
  Ante Sibyllinae fata cremavit opis.
Odimus Althaeam consumpti funere torris,
  Niseum crinem flere putantur aves.
At Stilicho aeterni fatalia pignora regni 55
  Et plenas voluit praecipitare colos.
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,
  Consumat Stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille,
  Hic mundi matrem perculit, ille suam. 60

Sed deverticulo fuimus fortasse loquaces;
  Carmine propositum iam repetamus iter.
Advehimur celeri candentia moenia lapsu.
  Nominis est auctor sole corusca soror.
Indigenis superat ridentia lilia saxis, 65
  Et levi radiat picta nitore silex.
Dives marmoribus tellus, quae luce coloris
  Provocat intactas luxuriosa nives.

Reliqua desunt.

---

51. C. E. crassatus. 53. W. consumti. 54. C. E. Nisaeum. 55. E. Stilico. 56. C. (?) W. colus. 61. C. E. W. diverticulo. 62. E. proposito. 67. E. telus.

COMMENTARIUS
IN
RUTILII CLAUDII NAMATIANI
DE REDITU SUO

LIBRUM PRIMUM.

Initium carminis huius, quod explicaturi sumus, cum ex vetustioribus interpretibus Castalio et Barthius integrum esse negassent, inde a Burmanno contraria sententia pervicit, ut praeter Dammium et Kappium ceteri non modo nihil desiderari, sed ne vituperari quidem quicquam posse dixerint. Utramque sententiam ipse aliquando in Observationibus p. 99 ita coniunxi, ut poëtam insolito exordio uti faterer equidem, excusandum tamen esse putarem, quod animi in urbe relinquenda gravis commotio eum concinne loqui non passa esset. Quae quoniam intelligo minus recte esse disputata, quia animi talis affectio eum, qui scribit, nec movet nec movere debet, fieri video, ut, quemadmodum finem horum librorum deesse constat, item initium mutilum esse statuendum sit. Etenim hoc fere desiderari apparet: ~~multi~~ fortasse erunt, qui crimini mihi dent, quod a patria et a propinquis tam diu abfuerim Romaeque praeter necessitatem commoratus sim. Cui deinde annectitur, quod est: tu vero, mi lector, velocem potius abi-

abitum meum mirabere. Illud qui nihil ab initio deesse censent, cogitando supplendum esse putant, simulque, ne quid poëta insoliti admisisse videatur, saepe particulam *potius* cum ellipsi commatis, quod ei respondeat, dici docent. Exempla afferunt cum duos locos Virgilianos (Aen. 10, 631 et 11, 443) et unum Ciceronis (Ep. 6, 8), tum ex ipso Namatiano v. 99 *hos potius dicas crevisse in sidera montes*, et v. 581 *narrabat, memini, multos emensus honores Tuscorum regimen plus placuisse sibi.* Horum tamen locorum uterque eo dissimilis est huic, de quo dicimus, quod etsi non additum est, quo *potius* pertineat, facillime tamen ex iis, quae antecedunt, intelligitur. Ex eodem genere Virgiliani loci sunt, Ciceronianum vero illum prope nemo est interpretum recentiorum, qui corruptum esse neget. Verumtamen ut *potius* aliquando ita poni liceat, ut, quo referatur, addi non sit necesse, idem qui ab initio carminis admiserit, merito vituperabitur, praesertim si non continuo rem ipsam aggrediatur, sed diu in praefatione quasi commoratus versu 165 demum, quod Rutilio accidit, carmen ipsum ordiatur.

2. tam cito. Pithoeus et Cortius, qui initium huius carminis deesse negarant, quoniam aliquid tamen desiderari intelligebant, id in hunc versum inferre conati pro eo, quod est *tam*, censuerunt scribendum esse *quam*, Barthius vero, ut subiectum etiam infinitivis *posse carere* adderet, coniecit *quam me ita.* Qua ratione videant, ne Rutilium sibi contradicentem faciant. Diceret enim mirum esse, si quis cito in patriam revertatur, minus mirum, si cito Romam relinquat. Scilicet si aliorsum, non in patriam discederet, lectores non admirarentur. Poëta vero Romam unice laudat, sed tamen patriae revocanti cedere se debere sentit. Et omnino *abire Roma* et *redire in Galliam patriam* una eademque res est. Apte autem Sitz-

mannus, quae Symmachus Epist. 1, 30 de Roma relinquenda ait, affert haec: *difficile est hinc abire, cum veneris: adeo si contemplari maiestatem urbis nostrae velis, iusto citius videbitur revertisse.*

3. quid longum. Nihil ait longum videri cuiquam, etiamsi per totam vitam Romae commoretur. Sed hoc ipsum *nihil* ambigue dictum est. Quid enim? Nulliusne rei taedium capere potest eum, qui Romae vivat? Immo hoc ipsum Romae vivere taedium non affert. Pro eo autem, quod est *Romae vivere*, dicit *Romam venerari* i. e. colere cum admiratione, a quo incolendi notio non longe abest. Quod Heinsius volebat *celebrantibus*, alienum etiam a sententia videtur. Est enim *celebrare* frequenter aliquo venire. Insequenti autem versu confert aliquid ad sententiam vox *unquam* i. e. *nulla temporis parte*, pro quo quod Crusius in Probabilibus Criticis p. 55 coniecit *cuiquam*, cum nihil addatur ad describendam eam personam, inutile traheretur.

5. o, quantum et quotiens. Obversabantur haec scribenti, quae apud Ovidium sunt Trist. 3, 12, 25 *o quater et, quotiens non est numerare, beatum, non interdicta cui licet urbe frui.* Sed variavit suo Marte *o quantum et quotiens.* Quidni variet? Ita enim Ovid. Art. am. 2, 447 *o, quantum et quotiens numero comprendere non est, felicem, de quo laesa puella dolet* et Grat. Cyneg. 320 *o quantum et quotiens decoris frustata paterni.* Sed instat Nic. Heinsius, qui ad Ovid. Art. am. 2, 28 praeter Gratianum, in quo illud non videbatur posse admitti, omnes hos locos ad unam formulam redigit, ut in Ovidianis *o quater et quotiens* cet., in Rutiliano scribatur *o quater et quotiens non est numerare beatos.* Verumtamen utrumque probum est. Simili enim prope ratione atque Horatius Carm. 1, 13, 17 ait *felices ter et amplius, quos irrupta te-*

net copula, aliquem quater et toties, quoties non est numerare, beatum praedicari licet, cum praesertim etiam *quater* aliquem beatum dicere non insolitum esse ostendat Tibullus 1, 10, 63 *quater ille beatus, quo tenera irato flere puella potest.* Neque *quantum et quotiens possum numerare beatum*, in quo non gradu modo, sed numero quoque beatissimus aliquis praedicatur, minus aptum esse docet Gratiani locus, de quo ante dictum est. At vero etiam illud variavit Rutilius *quotiens possum numerare*, cum illi *quotiens non est numerare* aut *quotiens numero comprendere non est.* Sed quid obstat? Numerare potest usque ad millies millies cet. Simul intelligis, male hunc locum intellexisse omnes, qui *possem* pro eo, quod est in codice *possum*, ediderunt. Duo sunt relativa *quantum* et *quotiens* et coniungendum *o beatos, quantum et quotiens numerare possum*, ubi prorsus locus non est coniunctivo, quem illi ne sua quidem ratione, cum *o quantum beatos numerare possum* coniungerent, iure tueri poterant: nemo enim impedit, ne numeret. Ne vero *numerari* mirere, quantum beati praedicandi sint, Claudianus IV cons. Honor. 185 *visa etiam*, inquit, *medio populis mirantibus audax stella die dubitanda nihil, sed, quantus numeratur nocte Bootes*, atque *numerum* etiam eorum, quae non numeremus proprie, sed metiamur, dici non rarum est. Scripsi autem, hic quidem codici parens, *quotiens*, ut infra v. 196; nam v. 340 *quoties* et v. 323 *toties* in eo esse dicitur.

6. Duas hominum classes facit, unam beatorum, alteram felicium tantum, de quibus v. 11 dicit. Beati sunt, qui, cum in ipsa Roma (i. e. *solo felici*) nati sint, suam virtutem urbis patriae honore nobilitant. *Romani proceres* a poeta antiquitatis amantissimo veteres Romani dicuntur, a quibus quae virtus generando quasi tradita ad posteros pervenit (*fortes* enim

creantur fortibus, ut ait ille), est *ingenitum decus*. Quod qui splendorem natalium, genus illustre interpretantur, Dammius et Wernsdorfius, dubito num latinitatis consuetudinem sequantur. Recte enim Cortius comparat Sueton. Neron. 1 extr. *plures e familia cognosci referre arbitror: quo facilius appareat ita degenerasse a suorum virtutibus Nero, ut tamen vitia cuiusque, quasi tradita et ingenita, retulerit.*

11. Non tam beati, quam qui Romae nati sunt, sed felices tamen et ipsi praedicantur, qui *Latias obtinuere domos*. Quos Wernsdorfius cum eos esse putat, qui iure Latii ex constitutione Caracallae accepto per magistratus domi gestos civitatem Romanam adipiscantur, et in eo, quod constitutione illa contineatur, magnopere fallitur, nec ea, quae Rutilius ipse infra inde a versu 60 multis laudibus extollit, satis diligenter videtur expendisse. Caracallam autem constat, quicunque liberi essent in imperio Romano homines, eos omnes iussisse cives esse Romanos. Itaque cum de hac quidem re Rutilius hic dicere nequeat, simplici nec longinqua interpretatione hoc mihi effici videtur, ut felices praedicentur, qui, quamvis in peregrina terra nati essent, *domos* tamen sive domicilia in Latio i. e. in ipsa urbe adepti sint. *Latium* enim nonnunquam idem apud poëtas est quod *Romanum*, ut Stat. Silv. 1, 112 adeo forum Romanum *forum Latium*, et Claud. de Stilich. 3, 34 [*nec similis Latias patefecit gloria portas* portas urbis Romae appellaverit *Latias*. Cf. infra 1, 149; 2, 33 et 46. Quod autem est *primis*, intellige muneribus, i. e. praecipuis, maximis, optimis, ut est apud Ovid. Trist. 5, 8, 38 *haec sunt a primis proxima vota meis;* Cic. Tuscul. 1, 11, 24 *idque primum* (am liebsten) *ita esse velim, deinde mihi persuaderi tamen velim.* Commemoravi Dammii et Wernsdorfii causa, qui, dum

primos interpretantur beatos illos homines, de quibus ante dictum est, poëtam, qui duo hominum genera distinguat, soloece loqui iubent.

13. Rationem significat, qua homines, quibus non contigit, ut in solo felici nascerentur, Latias domos obtinere atque felices fieri possint, ut recipiantur nimirum in senatum Romanum. Eodem pertinent, quae Sitzmannus ex Nazarii Panegyr. Constant. Aug. 35 attulit *sensisti, Roma, tandem, arcem te omnium gentium et terrarum esse reginam, cum ex omnibus provinciis viros curiae tuae pigneraveris, ut senatus dignitas non nomine, quam re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret;* item quae sunt apud Aristidem de laude Romae (T. I p. 346 ed. Dindorf.) ξένος δ' οὐδεὶς ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος ἀνῆται πάντες ὥσπερ ἐς κοινὴν ἀγορὰν συνίασι τευξόμενοι τῆς ἀξίας ἕκαστοι, quaeque alia plurima congessit Spanheim. Orb. Rom. II, 6 init. *Peregrinos* autem, qui olim contrarii fuerant civibus, hoc tempore vocari vides provinciales homines, extra Romam urbicariasque regiones natos. Vide Gothofred. ad Theod. Cod. 1, 12, 1; 6, 36, 1; Valesium ad Ammian. Marcell. 14, 6, 19. *Laudem* intellige ipsos homines, qui in provinciis sunt nobilissimi. Ita enim tunc abstracta pro concretis usurpare consueverant. Vide ad v. 19. Scripsimus autem *relligiosa*, ut infra v. 390 *relligione sua*. Vide Schneideri grammat. lat. I p. 590.

15. ordinis imperio collegarumque. *Ordo* quin sit senatus, nemo dubitat; sed qui sint *collegae*, dubitant interpretes. Nam qui volunt esse senatores, nec illi poëtam ταυτολογεῖν iubent, quod ne et ipse facere videretur, Graevius *collegatuque* commendabat, quo tamen, novo praesertim atque inaudito vocabulo, facile caremus. Recte enim Wernsdorfius *collegas* interpretatur magistratus populi Romani, quatenus et ipsi sunt senatores et auctoritatem senatus

sequuntur, et Certius comites illustres ceteraque domus Augustae officia dici putat. Eodem pertinet vox *imperii*, quoniam senatus quidem ipsius nullum est imperium, at magistratuum, qui eius collegii consortes sunt. Burmannus vero h. l. quid senserit, nequeo intelligere; quod tamen aliquando sibi placuisse ait *ordinis ingenio collegarumque*, ut novi senatores collegarum ingenio ac prudentia de republica administranda edocti esse dicantur, id falsum esse nemo est quin videat.

16. et partem habent. Recte interpretes *partem habere* explicant *in communionem venire, participem fieri*. Sed qui tandem genius ille, cuius partem habent? quae illa veneratio, qua eum prosequuntur? De his poëta dicit, qui senatores fiunt. Genium igitur intelligit senatorum proprium. Ut enim constat, omnibus hominibus et prope etiam rebus genium esse additum, item senatui suum fuisse genium probabile est. Verumtamen Romanae quidem curiae genii nullam invenio memoriam, praeter eam imaginem, quae est apud Millinum galler. mythologica tab. 182. Sestinatis vero *curiae genius* commemoratur in inscriptionibus apud Orell. n. 1120; ibidemque n. 1696 *genius ordinis* decurionum; atque in nummo Cyprio apud eundem illum Mill. tab. 177 est caput genii, inscriptum: θεὸν σύγκλητον, *senatusque* cuiusdam *genium* commemorari ait Reinesius in Inscript. ad Class. I n. 138. Cur tamen Romanae curiae genii nulla mentio? Senatus aut in templo aliquo habebatur, quod cuius dei erat, is praesidebat senatui atque eius erat genius, aut conveniebat in curiam Iuliam, in qua nobilis illa Victoriae ara erat. Cuius quidem frequens invenitur commemoratio. Posuit eam Caesar Augustus, cum curiam ipsam dedicaret. Auctor est Dio Cassius 51, 22 (p. 655 ed. Reimar.) ἐνέστησε δὲ ἐς αὐτὰ (τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰουλίειον) τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Νίκης τὸ καὶ νῦν ὂν· ἦν δὲ δὴ τῶν

Ταραντίνων καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὴν Ῥώμην κομισθὲν ἔν τε τῷ συνεδρίῳ ἱδρύθη καὶ Αἰγυπτίοις λαφύροις ἐκοσμήθη. Eamque aram dedicatam esse a. d. V Kal. Sept. apparet ex vetusto Calendario Maffeiorum, quod est in Orell. Inscript. II p. 396. Idemque Augustus, ut est apud Sueton. Aug. 35, *sanxit, ut, priusquam consideret quisque senator, ture ac mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur*, de qua eadem re est apud Dionem 54, 30 (p. 761 ed. Reimar.). Nec postea rara eius arae memoria. Eam in funere Augusti praeferri quidam senatores censuerunt (Sueton. August. 100); eadem in rebus Alexandri Severi c. 14 ab Aelio Lampridio, in rebus Gordiani tertii c. 22 ab Iulio Capitolino commemoratur. Plurima autem eius arae mentio iis temporibus, cum Christianorum invalescens religio veterum deorum sacra sperneret ac deleret. Etenim iam anno 342 imperator Constans eam destruxerat. Cf. Symmachum Ep. 10, 54 et Gothofred. ad Theod. Cod. 16, 10, 3. Sed Magnentius tyrannus, ut cum cetera sacra tum nocturna sacrificia in urbe restituit, ita arae Victoriae veterem honorem reddidit. Verumtamen eo victo Constantius, vel ut Christianis obsequeretur vel Magnentii odio ductus, iterum Victoriam de senatu tolli iussit. Iterum cum Iulianus, ut suspicor, restituisset, an. 376 p. Chr. Gratianus, praecipua ea in re Gracchi, praefecti urbis, opera usus rursus evertit. Cf. Gothofredum ad Theod. Cod. 9, 35 3 et in chronographia Theod. Cod. s. a. Atque ea de re maxima inter gentiles et christianos homines lis orta est. Nam cum anno 382 a Theodosio frustra petitum esset, ut ara restitueretur, anno 384, cum abesset ille extra Italiam, nomine senatus Symmachus, eo anno praefectus urbi, nobilem illam relationem *), quae est in eius

*) Neque enim recte iudicasse puto Iuretum ad Sym-

epistolia lib. 10, 54, ad Valentinianum misit, cui duobus libellis, qui item extant, facundissime respondit Ambrosius, episcopus Mediolanensis. Nec Valentinianus, sive is suis sive Theodosii, ad quem suadet Ambrosius libello priore ut referat, consiliis usus est, Symmacho gentiliumque votis tum obtemperavit, quamvis dictitaret ille: *ubi in leges vestras et verba iurabimus? qua religione mens falsa terrebitur, ne mentiatur? Omnia quidem deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus, sed plurimum confert ad metum delinquendi, etiam praesentia religionis augeri.* Nec postea paruit, cum iterum eadem de re ad eum legatio missa (anno 391, opinor) *nihil extorsit*, ut ait Ambrosius ad Eugenium. Tandem, cum hic ipse Eugenius, Valentiniano ab Arbogaste Viennae occiso, imperaret, senatus auctoribus Flaviano, eo, ad quem multae epistolae Symmachi sunt, et Arbogaste assecutus est, ut et Victoriae ara et sumptus caerimoniarum restituerentur. Auctores sunt Ambrosius ad Eugenium et Paulinus in vita Ambrosii. Cf. Iuretus ad Symmachum p. 333 (ed. Paris. 1604) et Gothofredus in prosopographia Theod. Cod. Postea vero quid acciderit, non certo constat, quamquam ex Zosimo 5, 38, qui Theodosium post Eugenium superatum sumptus ad sacrificia negasse ait, satis tuto illud quoque videtur posse colligi, eum etiam cetera, quae tyrannus gentilibus permiserat, rescidisse. Claudiani tamen temporibus aram Victoriae vel certe Victoriam ipsam in curia fuisse colliga ex iis, quae habet de laudibus Stilich. 3, 202 *quae vero procerum* (i. e. senatorum, ut apparet ex v. 213) *voces, quam certa fuere gaudia, cum totis exurgens ardua pennis ipsa duci sacras Victoria panderet alas*, et de VI cons.

---

machum 10, 54, qui eam anno 391 scriptam existimat, quo anno Symmachus consul, non praefectus urbi fuit.

Hon. 597 *adfuit ipsa suis ales Victoria templis, Romanae tutela togae: quae divite pompa patricii reverenda fovet sacraria coetus.* His vero Namatiani temporibus nescitur, num Victoria in senatu superfuerit nec ne, quamquam veri est simile, signum Victoriae, quod aureum erat (Prudentius in Symmach. 2, 28 sqq.), ut pleraque ornamenta deorum, ad tributum Alarico pendendum sublatum ac conflatum esse. Cf. Zosimus 5, 41. Sed, utut hoc est, licebat certe poëtae, gentilibus sacris addicto, eorum, quae ad veterem senatus auctoritatem pertinebant, quamvis non superessent, memoriam carmine repetere. Quam vero recte genium, quem senatores venerentur, Victoriam illam interpretati simus, ostendunt et Symmachus, qui in epistola, quae est ad Valentinianum, *ut animae*, inquit, *nascentibus, ita populis fatales genii distribuuntur*, multaque talia habet, quae ad hanc Victoriam pertinent, et Prudentius, qui in carmine, quod contra Symmachi epistolam scripsit, Libr. II v. 574 multa cum omnibus de geniis, tum de hoc Victoriae genio dicit.

17. quale per aetherios-dei. Concilium summi dei cum natura iisque rebus omnibus, quae natura continentur, comparatur cum ea ratione, qua genius curiae cum senatoribus singulis coniungitur. Ut enim hi coniuncti eum efficiunt genium, quem singuli venerantur, sic summus deus unus est per totam naturam, sed singulis rebus constat, per quas vis eius omnis semet ipsa agnoscens diffusa est. Nam *concilium* est congregatio, consociatio eaque ipsa unitas in varietate, qua dei notio conficitur. Quod quidem *concilium* et *conciliandi* verbum Lucretius saepe de atomorum coitu et connexione usurpavit (vide interpretes eius ad 1, 184 et indicem edit. Havercampianae s. v.), neque absimili significatione alii, ut Serenus Sammonicus 40, 754 *gramen hyosciami cerae*

sevoque vetusto concilia (i. e. misce), *mixtisque locos induce dolentes;* Claud. in Rufin. 2, 466 *est locus, infaustis quo conciliantur in unum Cocytos Phlegethonque vadis.* Universa autem haec comparatio ex Stoicorum disciplina petita est, quos in physiologia Heraclitum sequi consentiunt scriptores de historia philosophiae omnes, ut Cicero de natur. deorum 3, 14 *sed omnia vestri* (Stoici) *solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes.* Atque eum Heraclitum τὸ ἓν διαφερόμενον αὐτὸ αὑτῷ ξυμφέρεσθαι statuere testatur Plato in Symposio p. 187 Steph. (397 Bekk.). Vide Hegelium in historia philosophiae Vol. I. p. 396 aptissime de ea sententia disputantem. Stoici autem ipsi cum deum esse mundi animum censerent, connexum et contextum quasi rerum omnium variis vocabulis definiunt, ut Marcus Antoninus libr. 4 § 40 οἷά τις πάντων ἡ σύνησις καὶ συμμίξις, libr. 5 § 9 πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται καὶ ἡ σύνεσις ἱερά· κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ πάντων καὶ θεὸς εἷς διὰ πάντων καὶ οὐσία μία καὶ νόμος εἷς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων καὶ ἀλήθεια μία, ad quos locos vide a Gatakero collates similes alios. Mitto plura; nam quomodo illud, quod est *concilium*, ex Stoicis expressum sit, apparere opinor. De deo vero Stoicorum eiusque cum Christianorum deo aut similitudine aut diversitate cum multa olim in utramque partem disputata sint (vide Brukeri histor. phil. Vol. I p. 928 sqq.), nunc opinor rem esse confectam nec ab Hegelii iudicio discedo, hist. phil. I p. 441. Redeo ad Rutilium, apud quem cum antea legeretur *coniugium*, frustra id videntur interpretes defendisse Lucretii loco 3, 857, ubi intima corporis animique coniunctio *coetus coniugiumque* vocatur. Quod autem ait *per aetherios mundani verticis axes*, est per universam rerum naturam. Ut enim terrae axem et terrae verticem sive polum habemus, item *aetheris* i. e. mundi axem, mundi polum. Pluralem

numerum *axes* cur posuerit, si quaeres; cogita de duabus unius axis mundani partibus, quarum una ab polo mundano septemtrionali ad terram, altera a terra ad meridionalem mundi polum pertinet, atque ita *aetheris axes* sunt apud Virgil. Aen. 2, 512; Ovid. Fast. 3, 368; Trist. 1, 2, 46. Cf. infra v. 61. At *polos* certiore ratione duos nominare debuerat; verumtamen cum pro polo posuisset *verticem*, qui est polus septemtrionalis, necesse erat in singulari numero subsistere. Sic nos quidem de hoc loco sentimus, de quo quae priores interpretes partim vera partim falsa annotarunt, omittenda esse putavimus. Hoc addo, Barthium in Adversariis correxisse *diis summis*, quod idem alius quidam vir doctus in ora editionis Simlerianae ascripserat.

19. mea-fortuna i. e. ego infelix sive ego in ea, qua sum, fortuna constitutus. Solent enim huius aetatis scriptores, dum ad pompam quandam ac magnificentiam orationis quaerendam, quod raro olim nec sine causa licuerat, vulgant, pro adiectivis substantiva usurpare, non in appellationibus modo, in quibus notum est dici *serenitatem tuam*, *claritatem vestram*, *unanimitatem vestram*, similia, sed in quibusvis aliis enuntiatis. Ita supra v. 13 est *peregrinae laudi* pro hominibus peregrinis laudabilibus, infra v. 90 *nobilis gloria*; 2, 9 *trepidus rubor*, alia alibi. Sententiae autem hoc loco ea est continuatio, ut poëta, postquam eos, qui in senatum Romanum reciperentur, alterum illud felicitatis genus, ut in urbe sedes suas ponere possent, assecutos esse dixit, iam hoc quoque sibi negari narret, cui, quamvis sit senator, nihilominus in Galliam redeundum sit cum propter publicam omnium cladem, tum propter damnum suis rebus illatum. *Revellendi* autem verbum in simili re Ovidius posuit ab Italia discedens Trist. 1, 4, 23 *dum loquor et supia pariter timeoque revelli.*

21. longis bellis. Primos enim omnium pridie Kal. Ian. anni 407, Honorio VII Theodosio II coss., Vandalorum, Suevorum Alanorumque exercitus Rheno Maguntiaci traiecto in Gallias invasisse auctor est Prosper Aquitanus in chronico. Secuti sunt Burgundiones, qui, cum illi in Hispaniam transissent, manserunt in Galliis. Anno deinde 412 Gothi Athaulpho duce australi parte potiuntur, et Aquitaniam ac Novempopuloniam etiam, postquam pepigerunt cum Romanis, tenuerunt. His si addideris Bagaudarum seditiones ac bella, de quibus ad v. 213 dictum est, apparebit, quam diuturnis bellis Galliae vastatae fuerint. De Gothorum quidem ac Vandalorum vastationibus sic Salvianus Massiliensis de gubernatione dei libro VII p. 164 (ed. Baluzii 1619): *a patrio solo effusa est* (gens) *in Germaniam primam, nomine barbaram, ditione Romanam, post cuius exitium primum arsit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium et post haec corpus omnium Gallorum. — Vastata est diu Gallia.* Sidon. Apollinaris Carm. 7, 298 *et caput hoc sibimet solitis defessa ruinis Gallia suscipiens, Getica pallebat ab ira*, quo loco vid. Savaro.

22. quam grata minus, tam miseranda magis. Pro ablativis *tanto* et *quanto* poëtae nonnunquam comparativo adverbia addunt *tam* et *quam*. Complures eos locos attulit Burmannus ad Virgilium Georg. 3, 309, ex quibus hunc solum afferam Virgilianum, Aen. 7, 787 *tam magis illa fremens et tristibus effera flammis, quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.* Similem autem huic loco sententiam expressit Cicero Ep. 4, 9, 3 *nunc vero nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius nec eam multis claris viris orbatam privare etiam aspectu tuo*, quae tamen imitatum esse Rutilium non credo Castalioni.

23. securos contemnere cives i. e. pace ac rebus tranquillis popularium res non curare, sed degere cum aliis crimen est illud quidem, sed levius tamen, quam si quis eosdem bello ac rebus turbidis deserat. Privatam autem fidem dicit non modo publicam magistratuum, sed privatam etiam singulorum civium et eorum, qui magistratu non funguntur. Nec enim poëta se cum magistratu rediisse significat, sed ut et sibi et civibus suis privato suo auxilio succureret, quod Cortii causa commemoro, qui cum Namatianum ad correcturam, quam falso putabat, obeundam revertisse opinaretur, docere instituit, etiam eum, qui magistratu fungatur, privatum dici posse. Plura hac de re vide in Observat. p. 26.

26. prodest admonitus saepe dolore labor. Priore versu dixerat, illacrimare se debere patriae vastatae. Iam semet ipse colligens, non ut dolorem effundat, proficiscendum sibi esse ait, sed ut restituat etiam, quae perierant. Saepe, inquit, labor stimulatus dolore proficit aliquid, plus efficit, quam segnis quasi, qualis esse solet rebus prospere fluentibus. Etenim recte Wernsdorfius Gronovii in Diatribe Statiana c. 49 (p. 499 ed. Hand.) auctoritate usus *admoneri* ea res ait, quae cum aculeo quodam ac telo in memoriam redeant animumque quasi refricent, ut in re huic simili Tacitus Germ. 37 *non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeque saepius admonuere.* Adde Ruhnkenium in Dictatis ad Ovidii Heroides 3, 132. Idem tamen Wernsdorfius non video cur, quod est *labor dolore admonitus prodest*, poëtica ratione dictum esse opinetur pro eo, quod debuerit esse *prodest laborem admoneri.* Ea nulla est poëtica ratio, quae extra grammaticam est. Burmannus vero quod dativo casu *admonitis* (i. e. civibus) scribendum esse putabat, hac quidem sententia, *non solere bonorum civium operam a multitudine magni fieri, nisi praesens ne-*

vessitus ac dolor ruinae urgeat, et aliena a re immiscet, nec vere omnino dicentem facit poëtam. Prodesse enim civibus suis possunt boni viri non minus, cum magni fiunt, quam cum parvi fiunt. Aliud etiam in his novabat Heinsius, ut *favor* pro eo, quod est *labor*, scriberet, hac sententia, *eum qui faveat alicui rei, magis incitari, si suis oculis calamitatem inteneatur*. Movebat eum, quod dubitabat, num *labor admoneri* recte dici posset. At cum homine admonetur eius cura; labor autem est cura ac contentio, ut apud Virgil. Aen. 4, 379 *scilicet is superis labor est, ea cura quietos sollicitat*.

27. nescire i. e. dissimulare, nolle cognoscere, contemnere ac pro nihilo ducere, ut Stat. Theb. 7, 675 *et sua vulnera nescit*; id. 5, 345 *tantosque iubet nescire labores*; Lucan. 7, 410 *tempora signavit leviorum Roma malorum, hunc voluit nescire diem*. Eadem notione *nescius* positum in Anthologia Latina ed. Burm. libr. 3, 233 *Marcus, amans puerum, natum mentitur amare, vultque pater dici, nescius ipse pater* i. e. dissimulans se esse patrem. Dissimile vero, quod Burmannus et Wernsdorfius tamquam simile afferunt, infra v. 246 *instabilem fixis aëra nescit aquis*. Versu insequenti *suspensam opem* noli intelligere *dilatam*, ut Wernsdorfius, quod nove dictum esset, sed *quam in suspenso tenebam, essem praestituruś necne*, dum modo redire cupio, modo Romanae urbis amore retineor.

29. saeva incendia. Sic ex codice nostro scripsimus, cum antea vulgaretur *longa incendia*. Modo enim fuerat *longae ruinae*, et variare orationem opus erat. Paulo post vel pastorales est *si nihil aliud, at certe*. Eadem significatio, ut vel non augeat nec sit, quod solet esse fogar auch, sed fogar nur, invenitur apud Ciceronem de orator. 2, 27, 119 *haec sunt omnia ingenii vel mediocris*; Plin. Panegyr. 58, 3

non debitum hoc illi? non vel sola generis claritate promeritum?; Suet. Domit. 20 *nunquam tamen aut historiae operam ullam aut stilo vel necessario dedit.*

32. arbuta nostra vel universae Galliae vel meorum agrorum. Non dubium est, quin Virgilium imitatus sit Eclog. 1, 40 *ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.* Qua quidem ex re non hoc modo colligit Werndorfius, ut arbuta h. l. pro arbustis dici patet, sed addit etiam eam communem quasi esse omnium poëtarum sequioris aetatis significationem, cupidius, ut videtur, quam verius. Nam quos duos locos laudat, eorum unus Calpurnii Eclog. 7, 72 *aurea cum croceo creverunt arbuta libro*, sine dubio ad arbutos ipsas pertinet propter *aurea* poma, alter ex elegia incerti cuiusdam poëtae de fortunae vicissitudine (Poët. lat. min. ed. Wernsdorf. Tom. III) v. 23, *ut gravis hiberno torrens de monte volutus obvia non magna arbuta verrit ope*, dubius certe est. Hoc quidem loco etiam alia ratio subest, ut *arbuta* suo et, quo vulgantur, nomine (cf. Vossius ad Virgil. Eclog. 3, 82) dici putem. Iam enim de feris arboribus poëtam dicere existimo, qui, cum antea de cultis arvis ac domibus dixisset, ipsos etiam fontes sese in patriam revocare ait, quid aliud nisi incultam quasi naturam? Fontibus autem arbuta addit, silvestres arbores, quarum una species pro toto genere ponitur. Arbusta vero culta sunt et manu sata. Sic etiam alterum locum a Wernsdorfio allatum à nova illa significatione prohibeo. Vide autem poëtae huius tale esse ingenium, ut quamvis imitetur, variandi tamen sibi facultatem relinquat.

34. addere vela. Hoc, quod a Castalione primo inductum plerisque deinde editoribus merito placuit, nunc codicis nostri auctoritate confirmatur. Quod vetustae editiones habent *reddere vela*, frustra tuetur

Wernsdorfius. Nam ex eo, quod cessavit Rutilius, non efficitur, ut patriae oblitus fuerit, quod ille ait passum esse eum, ut vela *reddenda* essent. Addere autem vela dicuntur proprie iis, qui nova vela expandunt, qui cursum augent, nec addere vela, etsi alibi nusquam legitur, insolitum videri debet, cum *spem, animos, ardorem* addi satis frequens sit.

35. laxatis complexibus i. e. cum iam complexus, quibus urbs me vinctum quasi tenuerat, laxati essent. Ad limen enim urbis poëtam fuisse ex versu 43 apparet. Complexus quasi vincula sunt, quae et astringi et laxari sive solvi dicuntur, Ovid. Fast. 2, 321 *tunicarum vincla relaxat;* Stat. Theb. 1, 135 *aequis vincula laxant viribus;* Lucan. 7, 125 *frenos laxare.* Quod quo facilius de complexibus dici potuerit, ipsa facit originatio vocabuli, quoniam a plectendo sive plicando deducitur, eademque prorsus ratione est apud Mamertinum Panegyr. Max. Aug. 14, 4 (ed. Iaegeri) *amplexus Romae carissimos interdum piis manibus resoluere.* Commemoravi haec interpretum causa, qui praeter Burmannum ac Wernsdorfium, dum hominem a vinculis quam vincula ab homine laxari maluit, varie hunc locum mutabant. Nec falsum est, quod Dammius emendabat *laxati;* nam ita Cicero Cat. mai. 3, 7 *qui se a libidinis vinculis laxatos esse non moleste ferunt;* idemque Ep. 5, 14, 3 *sese laxare molestiis.* Barthius vero *laxatus* commendabat, ut simul nonnunquam, ubi singularis numerus antecedat, pluralem sequi docere falso conaretur. Idem illud primum Almeloveenio placuit, qui deinde coniiciebat *luctati* (i. e. postquam luctati sumus cum complexibus), tandem aut *laxatis* aut *laxati* probabat. Schraderus vero coniiciebat *lassati* (cf. infra v. 371); Crusius denique in Probab. Critic. p. 55 sic hunc locum mutabat: *quamquam lassati*

ca-

carae complexibus urbis vincimur, ut serum vix toleremus iter. Quae refutare nihil attinet.

36. vincimur-iter i. e. iam, cum avellor ab urbe, vincor patriae non desiderio, quod ait Wernsdorfius, sed caritate et mearum rerum utilitate atque iter illud in patriam grave ac molestum, quod dudum suscipere debueram, subeundum esse constituo, sed vix tamen constituo. Non recte Burmannus *serum iter tolerare* ait esse vix ferre animo, quod iter tam sero susceptum sit. Sic potius est *tolero iam iter sero a me suscipi*, ut apud Virgil. Aen. 6, 688 *vicit iter durum pietas* pro eo, quod erat *pietas vicit me, ut iter durum susciperem.* Quare, etsi necessarium nequaquam equidem iudico, non alienum tamen existimo, quod Kappius emendabat *at serum. Serum* autem non semper est, quod tum fit, cum nulla amplius eius est utilitas, sed, quod tardius fit, quam debuerat.

37. quoniam terrena viarum sqq. Mari poëta proficisci mavult, quia terrestre iter in planitie a barbaris vastatum carere videt fluviorum pontibus, qua per montuosa loca ducit, natura esse saxosum ac difficile. Impeditum autem iter erat in via Aurelia, qua Roma in Galliam sibi proficiscendum fuisse ait, maxime post Genuam, prope urbes Crixiam et Canalicum, quae hodie sunt Cortemiglia et Cairo, ubi per montium valliumque ambages eundum est, item impeditum paullo post ad vada Sabbatia propter coenosas ac vadosas regiones. Cicero Ep. 11, 10, 3 *huc accessit manus Ventidii, quae trans Apenninum facto itinere difficillimo ad Vada* (Sabbatia) *pervenit;* ibid. 11, 13, 2 *Constitit* (Antonius) *nusquam, priusquam ad Vada venit. Quem locum volo tibi esse notum. Iacet inter Apenninum et Alpes, impeditissimus ad iter faciendum.* Vide Strabonem in descriptione Alpium libr. 4 c. 6 p. 325 (Tauchnit.); Lucan. 1, 409; Cluverium Ital. antiq. p. 69. Atque

illud quidem quid sit *plana madent fluviis*, ipse paulo post explicat *non flumina ponte coërcet* via Aurelia, nec tamen ideo debet etiam alteri, quod est *cautibus alta rigent*, esse, quod respondeat, sed addi licet diversum aliquid, non amplius domibus silvas coërceri. Tueor igitur, quod aliquando in Observat. p. 109 ipse damnaveram, cum sic emendarem *saltibus alta rigent*. Sed venio ad verba ipsa. Debuerat enim sic dicere *terrestris viae plana-alta*, sed cum poëtice malnisset *terrena viarum* dicere, ne duplici genitivo opus esset, totum eodem, quo partes casu posuit. Neque id non licebat. Nam Graecorum morem, de quo vide Matthiaci gramm. graec. §. 319, imitati saepius sic latini, non poëtae modo, ut Virg. Aen. 12, 277 *at fratres-pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum corripiunt*, sed scriptores etiam, ut Livius 21, 15 *qui* (consules)-*alter ad Ticinum amnem, amba aliquanto post ad Trebiam pugnaverint;* id. 24, 21 med. *multitudo pars procurrit in castra, pars in aedium vestibulis stat, pars ex tectis fenestrisque prospiciunt;* id. 9, 40 extr. *quos populus-consulem alterum, alterum praetorem declaravit;* id. 23, 29 *in cornibus, dextro Poenos locat, laevo Afros,* multaque apud hunc imprimis scriptorem talia exempla inveniuntur. Cf. Ramshorn. gramm. p. 310; Ruddimanni Instit. ed. Stallbaum Vol. II p. 83. *Terrenum* autem, quod et hic est et infra v. 333 et 475, saepius *terrestre* dicitur, nec tamen insolitum est; nam apud Plinium nat. hist. 6, 17 (19) et 3, 8 (14) *iter terrenum* eadem est significatione, qua hic. Quae autem proprie *via terrena* sit, ex terra nimirum facta, explicatur in Dig. 43, 11 §. 2.

39. Aurelius agger. Est quod offendas in oratione: „Etruria et via Aurelia neque silvas domibus neque flumina pontibus coërcent." Sed *fluvios* pontibus coërceri i. e. meabiles fieri vulgare est; id translatum ad silvas, per quas ut commode proficiscare, *domibus*

i. e. oppidulis, villis, mansionibus, quales solent esse in viis publicis, atque omni denique hominum cultu opus est. Duxisse autem viam Aureliam, qua brevissimum iter in Galliam erat, per multas silvas testatur Flavius Vopiscus Aureliano 47 *Etruriae per Aureliam usque ad Alpes maritimas ingentes agri fertiles sunt ac silvosi.* Temere, ut saepe, Heinsius pro silvis *villas* coniiciebat, quia, opinor, villas a barbaris incensas non amplius domibus coli ac frequentari putabat.

40. Geticas, ut infra v. 142 *Getae* et 2, 51 *Getica arma*, vetuste ac bene. Ammianus enim primus (26, 14, 5 et saepe) *Gothos* nominare videtur. Poëtis autem etiam post id tempus Getarum nomen potius placuit, ut, cum Ausonius nonnunquam, ut Epigr. 3, 10 Gothos dixerit, Claudianus, imprimis veterum imitator, semper Getas vocarit. Quod autem eodem hoc versu ait *ense vel igne*, poëtice pro eo, quod debuerat esse *ense et igne.* Eodem modo Virgil. Aen. 6, 769 *Silvius Aeneas pariter pietate vel armis egregius;* Claud. bell. Get. 131 *pectora Fabricii donis invicta vel armis.* Vastaverant autem Getae viam Aureliam maxime, cum Athaulpho duce anno 412 ex Italia in Gallias proficiscerentur. Vide Observat. p. 80.

42. incerto-mari. Mare incertum cum semper sit, tum hiberno tempore, *occiduo infido dum saevit gurgite Plias* (infra v. 187), periculosissimum, quo ipso tempore Namatianus profectus est. Nam abiit Roma a. d. X Cal. Octobr. anno 416 p. Chr. Cf. Observat. p. 9.

43. crebra relinquendis sqq. Abeuntes portas et limina in vale dicendo osculari dicuntur. Sic apud Virg. Aen. 2, 490 *amplexaeque tenent postes atque oscula figunt;* Valer. Flacc. 4, 373 *ultima tum patriae cedens dedit oscula ripae;* Apollonius Argonaut. 4, 26 κύσσε δ' ἑόν τε λέχος καὶ δικλίδας ἀμφο-

τέρωθε σταθμοὺς, καὶ τοίχων ἐπαφήσατο. *Sacra* autem sunt limina, quia Roma dea est; Tibull. 1, 2, 84 *et dare sacratis oscula liminibus.*

45. laude litamus. Rarius litandi verbum ita ponitur, ut adiuncto dativo personae idem valeat quod sacrificare. Nec tamen is usus improbandus; nam ita Cicero p. Flacco 38 *litemus Lentulo, parentemus Cethego;* Seneca Med. 1019 *plura non habui, dolor, quae tibi litarem;* Plinius praefat. nat. hist. *mola salsa litant,* (i. e. diis) *qui tura non habent*, saepe Appuleius. Plenissime de universo huius verbi usu exposuerunt Schwarzius ad Plin. Panegyr. 52, 3 et Seyffertus in gram. lat. Vol. IV p. 178. Poëta igitur, ne Roma abeunti sibi succenseat, ut alii dii hostiis placantur, ita pro sacrificio Romae laudes canit, quae a v. 47 ad v. 165 pertinent. Burmannus dum ita distinguit, ut *lacrimis et laude* a ceteris seiuncta ad litandi verbum referat, et concinnitatem tollit orationis nec rationem veniae petendae considerat.

46. in quantum, non sic modo, ut eundi aliquod verbum addatur, invenitur, sed quaelibet alia verba addi a bonis latinitatis auctoribus docuit Ruhnken. ad Vellei. libr. 1, 9. Addo alia ex argenteae aetatis scriptoribus exempla, Plin. Ep. 10, 75 extr. *a me tamen, in quantum potuerit, requirentur;* Tac. Germ. 45 extr. *in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant;* id. dialog. de orator. 2 *nam et Secundo purus et pressus et, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit;* Plin. nat. hist. 30, 2 *in tantum fides istis fasque omne deest, adeo ut* etc.; Iuvenal. 14, 318 *in quantum sitis atque fames et frigora poscunt;* Quintil. 2, 10, 4 *declamatio, in quantum maxime potest, imitetur eas actiones;* id. 8, 6, 24 *in quantum dictus tropus oratorem sequatur.* Ab Sallustio vero eum usum recte

abiudicat Cortius ad Iugurtham c. 85, nec Cicero aut Caesar ita videtur dixisse.

47. tui mundi, quem tibi subiecisti eiusque domina es. *Pulcherrimam* quod vocat Romam, imitatur Virg. Georg. 2, 534 *scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.* Cf. v. 82. *Mundum* autem dixit orbem terrarum suae aetatis more, cum optima latinae orationis consuetudo ita aut coelum ipsum aut terram et coelum et quae ubique sunt, nominarit. Eamque notionem ex bibliorum christianorum latina interpretatione repetunt Wagnerus ad Ammian. Marrcell. 14, 8, 8 et Gesnerus ad Claudian. in Ruf. 1, 87. At iam antea saepius ita Lucanus, ut 1, 160 *namque ut opes nimias mundo fortuna subacto intulit;* 2, 48 *conuiuret in arma mundus;* 4, 393 *mundi nutante ruina;* 7, 70 et 108 et 250 et 278. Apud Silium 3, 611 et 12, 336 non credo Drakenborchio dici orbem terrarum, sed Statius Silv. 3, 3, 88 *magnique impendia mundi* quid aliud significat nisi mundum? Apud Claudianum vero frequentissima ea notio, ut bell. Gild. 161 *pars tertia mundi* (Africa) et 237 *et mundus germanaque dissidet aula;* in Rufin. 1, 143 *toti dominabere mundo;* bell. Get. 573 *haec mundo pacem victoria sancit;* Prob. et Olybr. coss. 193 *Proba quae decorat mundum;* nupt. Mar. et Hon. 281 *toto pariter dotabere mundo;* Mallii Theod. Cos. 51 *et nostro diducta Britannia mundo;* laud. Seren. 46 *necdum moderamina mundi sumpserat illa domus.* Sententiae vero huius loci apte Castalio comparat Ammian. Marcell. 14, 6, 6 *per omnes tamen, quotquot sunt, partes terrarum ut domina suspicitur et regina*, ibidemque §. 23 Roma *caput mundi* vocatur.

49. genitrix hominum genitrixque deorum. Homericum illud imitatur πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sed quo iure de urbe dixerit, quaeritur. Atque hominum

quidem parentem dici constat, quod omnes homines civitate complexa est, quod simili ratione praedicat Claud. Stilich. 3, 150 *haec* (Roma) *est, in gremium victos quae sola recepit, matris, non dominae, ritu. Deorum* autem *genitricem* ideo arbitror equidem, quod deos omnes procreavit quodammodo. Quorum alii homines illustres fuerant, propter virtutem in deorum numerum relati, ut Romulus primum, dein Caesar, post Augustus ceterique imperatores. Cf. Cicero de natur. deor. 2, 24, Diog. Laërt. libr. VII §. 151. Alii effecti ex rebus, in quibus vis inesse videbatur aliqua maior ac divinior, ut Mens, ut Fides, quae in Capitolio dedicatae erant, ut Spes, ut Virtus et Honos, quae dedicatae sunt anno 205, ut aliae aliquot deae, quas enumerat Cicero de nat. deor. 2, 23. Illud denique commemoro, ne peregrinos quidem deos licuisse coli, nisi publice a senatu recepti essent. Tertullian. Apolog. c. 5 *vetus erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus.* Quare Cybelen quidem, matrem Idaeam, notum est publice esse arcessitam et acceptam anno 205; Isidis vero et Serapis cultus, a privatis coeptus, paulo post anno 219 publice est prohibitus, idemque post anno 43 a triumviris non concessus modo, sed templo etiam auctus (Dio Cass. 47, 15), sed a Tiberio iterum vetitus (Ioseph. 18, 4), tandem est constitutus. Lucan. 8, 831 *nos in templa tuam Romana recepimus Isin,* Suet. Domit. 12; Lampridius Commod. 9; Spartian. Caracall. 9; interpretes ad Dionem 40, 47. Itaque illud certe constat, Romanos non potuisse credere deos, nisi qui publice recepti essent; quare Claud. bell. Gild. 131 *moerent indigetes et si quos Roma recepit aut dedit ipsa deos. Roma,* inquit Florus 1, 13, 18 *destinata hominum ac deorum civitas;* Ovid. Trist 1, 5, 70 *imperii Roma deumque locus,* Auson. de nob. urb. I *prima urbes inter, divum domus, aurea Roma.* Quo certiore autem ratione illud explicaret, quod

est *genitrix deorum*, addidit poëta *non procul a coelo per tua templa sumus* i. e. per templa, quae omnibus diis condidisti, effecisti, ut, qui in tua urbe versetur, in deorum concilio, in coelo ipso esse videatur. Sic malo quam de sublimibus templorum fastigiis eorumque augusto splendore, qui coelum ipsum aequet, intelligere, quod omnibus interpretibus placuisse video. Qua ratione et continuationem sententiae perrumpunt et nimis tumide poëtam loqui iubent.

52. sospes i. e. non modo, quamdiu hac luce fruitur, sed, quamdiu sana mente est. Eos enim videtur carpere, qui suo tempore Romanum imperium pessumdabant, ut 2, 44 de furore Stilichonis multa habet. Quod Cuperus Observat. lib. II p. 6 coniecit *hospes* i. e. qui te vidit, tuto poterat abesse; nemo enim certe, nisi qui vidit, oblivisci quit.

53. obruerint citius. Solis prius obliviscar, quam tui. Solem autem appellat, quia luce et calore nihil in rebus humanis melius. Opportune Wernsdorfius affert Cic. Lael. 13 *solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt.* Heinsio, qui *oblivione obruere*, quae Ciceroniana dicendi formula est (ut de fin. 1, 17, 57 et Tuscul. 5, 19 extr.), ad verbum explicaret, in mentem venit *celatum* pro eo, quod est *scelerata*. At maius est lucentis, quam celati solis beneficia oblivisci.

55. solis-tendis. Porrigis humano generi munera (non *munia*, quod volebat Graevius), quae solis radius aequant, quaniam aeque late patent, quod multis deinde exequitur. *Tendere* saepe idem est quod porrigere. Cicero de orat. 1, 40, 184 *spem amicis et prope cunctis civitatibus lucem ingenii et consilii porrigentem atque tendentem;* id. Phil. 10, 4 *tendit dextram Italiae;* Virg. Georg. 4, 534 *tu munera supplex tende, petens pacem.* Commemoravi, quia, cum latine ita dici non posse videretur, Graevius et Broukhusius ad Tibul.

lum 2, 5, 59 substituerant *fundis*, Burmannus pluribus mutatis voluerat *radios aequali munere pensas*, Barthius in Advers. 22, 17 *solis radiis aequalia moenia tendis* i. e. moenibus tuis orbem terrarum comprehendisti, alius denique quidam in Miscell. Observat. coniecerat *brachia tendis*.

57. qui continet omnia, Phoebus. Sol totum terrarum orbem continet, quia ab oriente ad occidentem pergens omnia cursu cottidiano peragrat, quare Claud. in Prob. et Olybr. coss. init. *sol, qui flammigeris mundum complexus habenis volvis inexhausto redeuntia saecula motu.* Romanum autem imperium item omnia continet; nam, ut est apud Petron. Satyr. 119 init., *orbem iam totum victor Romanus habebat, qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque*, et, ut ait Claud. Stilich. 3, 139, (Roma) *parva a sede profectas dispersit cum sole manus;* apud eundemque de bello Gild. 48 Roma ipsa de se *ad solem*, inquit, *victrix utrumque cucurri.* Plenius idem hoc laudat Aelius Aristides in Panegyr. Romae p. 325 (ed. Dindorf. Vol. I) ὅπερ γάρ τις ἔφη τῶν λογοποιῶν περὶ τῆς Ἀσίας, λέγων, ὅσην ὁ ἥλιος πορεύεται, ταύτης πάσης ἄρχειν ἄνδρα ἕνα-οὐκ ἀληθῆ λέγων, εἰ μὴ πᾶσαν Λιβύην καὶ τὴν Εὐρώπην ἐξαίρετον ἐποιεῖτο τῶν ἡλίου δυσμῶν τε καὶ ἀνατολῶν-τοῦτο νῦν ἐξενίκησεν ἀληθὲς εἶναι, τὴν ἴσην τε ἡλίου πορείαν εἶναι καὶ κτῆσιν ὑμετέραν καὶ τὸν ἥλιον διὰ τῆς ὑμετέρας πορεύεσθαι.

61. quantum vitalis axes. Barthius, Burmannus, Dammius scripserunt *vitales*, nimirum *axes*. At axes non zonae, quas illi putabant, sed poli; vide supra v. 17. Wernsdorfio quidem Namatianus h. l. Claudianum imitatus esse videtur, qui Stilich. 3, 138 sic de Roma, *haec est, exiguis quae finibus orta tetendit in geminos axes. Natura* autem *vitalis* est *temperies habitanda viris*, ut Claudianus loco modo citato ait. *Vitale* enim est, in quo vivitur vel vivi pot-

est, ut Nemes. Eclog. 1, 36 *corporis et genitrix, tellus vitalis et aër*, Lucan. 9, 435 *temperies vitalis;* Virg. Aen. 1, 387 *invisus coelestibus auras vitales carpis;* Plin. nat. hist. 2, 38 *omne, quod inani simile, vitalem hunc spiritum fundit.* Veteres autem ex quinque zonis, in quas terra dividebatur, tres putasse inhabitabiles, duas tantum homini ad vivendum relictas docent Plin. nat. hist. 2, 68 et Ovid. Met. 1, 45 sqq. In iis, quae paulo post sunt *tantum virtuti pervia terra tuae* i. e. eo penetrat virtus tua et indoles legesque, quod est *tantum* pro eo, quod debuerat esse *in tantum*, saepius ita Livium locutum esse docet Gronovius ad 37, 57 *novum sibi hominem sibi tantum praeferri;* atque Quintil. 10, 1, 126 *tantum ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat.*

63. fecisti patriam unam, nimirum cum civitate donares, quotquot subegeras. Multa apud omnes scriptores inveniuntur, quibus hoc, quod singulare et maxime erat in imperio Romano laudabile, praedicatur, ut apud Claud. Stilich. 3, 150 *haec est* (Roma) *quae cives vocavit, quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit;* Aristides de laud. Rom. p. 365 καὶ τὸ Ὁμήρῳ λεχθὲν „Γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων" ὑμεῖς ἔργῳ ἐποιήσατε. Inde etiam publice Roma *communis patria* appellari coepta est, Theod. Cod. 6, 2, 14; 6, 4, 21. Inepte autem in Miscell. Observat. quidam *fixisti patriam* voluisse dicitur. Versu insequenti quod est *iniustis*, pertinet ad *iuris consortia*, de quibus deinde dicit. Barbaras autem gentes maxime intelligit, quae sine dubio et sine legibus et iniustae fuerant; nam, ut ait Horat. Serm. 1, 3, 111, *iura inventa metu iniusti fateare necesse est.* Nihil igitur opus est eo, quod Castalio scripsit *invictis* aut eo, quod Dammius, auctoribus Iureto, Graevio, Heinsio, edidit *invitis*, aut Schraderiano denique *infestis.* Nec magis paulo post pro eo, quod est *te domi-*

nante, emendandum aut cum Heinsio ad Claud. IV Hon. 117 *teque domante* vel *te domitante*, aut cum Burmanno *te moderante*. Verbum intransitivum sic interpretare: quoniam tu domina eras, in cuius potestatem venturae erant.

66. urbem fecisti, quod prius orbis erat. Pervertit sententiam Venckius in Spec. critic. in var. auct. p. 18, qui sic mutabat *orbis fecisti, quod prius urbis erat* i. e. ius, quod una antea urbs sola possederat, cum toto orbe terrarum communicasti; item Burmannus, cum edidit *urbem fecisti, quod prius urbis erat*. Utrumque *quod*, pro quo usitatius erat *qui*, movisse videtur. Poëta vero hoc ait, Romam, cum populos victos civitatis consortione coniunxisset, fecisse, ut gentes, quae antea orbe terrarum comprehendebantur, iam unam civitatem atque unam urbem efficerent. Ascribo locum Aristidis Panegyr. Rom. p. 346 plenius hoc exponentis: ὅπερ δὲ πόλις τοῖς αὐτῆς ὁρίοις καὶ χώραις ἐστὶ, τοῦδ' ἤδη ἡ πόλις τῆς ἁπάσης οἰκουμένης, ὥσπερ αὖ τῆς χώρας ἄστυ κοινὸν ἀποδεδειγμένη. Φαίης ἂν περιοίκους ἅπαντας ἢ κατὰ δῆμον οἰκοῦντας ἄλλον χῶρον εἰς μίαν ταύτην ἀπρόκολιν συνέρχεσθαι, ἢ δὲ οὐδεπώποτε ἀπεῖκεν, ἀλλ' ὥσπερ τὸ τῆς γῆς ἔδαφος φέρει πάντας, οὕτω καὶ ἤδε δέχεται μὲν τοὺς ἐξ ἁπάσης γῆς, ὥσπερ τοὺς ποταμοὺς θάλαττα. Saepe autem poëtae in vocibus *urbis* et *orbis* similiter sonantibus leporem quendam orationis quaerunt, ut Ovid. Fast. 2, 683 *gentibus est aliis tellus data limite certo, Romanae spatium est urbis et orbis idem;* Corippus de laud. Iust. 1, 181 *quanta fuit nostrae simul urbis et orbis provida cura senii;* idem 1, 250 *lux urbis et orbis.*

67. Venerem Martemque. Dammius *Martem Veneremque* edidit, fortasse quod *auctoris* nomen feminino generi Veneris convenire negabat. Qui et aliis multis locis redarguetur et ipsius Rutilii infra 2, 64

nominis est auctor sole coruscа soror. Poëta igitur in auctoribus Romae nominandis temporum ordinem servare voluit.

70. numen utrumque. Sic Barthius correxit, cum fuisset *nomen*, quod idem in codice nostro inventum est. Rectum, opinor, *numen* est. Nam nomen ipsum, nisi potestas sit nominis, in moribus non agnoscitur, eaque potestas *numen* appellatur. Poëta, cum explicare velit, quid fuerit, quod Romani a consuetudine reliquarum gentium recederent, victosque in suae civitatis commoda reciperent, clementiam ait iis a Venere ingenitam esse. Eam autem clementiam *victricem* dicit, quia in victoria adhibetur.

71. hinc tibi-amat. Laudo Burmannum, quod distinctionem, quae post verbum *voluptatis* erat, tolli volebat, non laudo, quod pro voluptate *voluntatem* malebat. Nam voluptas longe est fortior magisque convenit cum proximo parcendi verbo; nam quod recte fit, debet etiam libenter fieri veteri ethicorum praecepto. Idque significat *voluptas*, ut apud Symmachum Ep. 7, 110 *sed beneficentiam talis viri, cui semper voluptas est, supra spem magna praestare, promptiorem spero reddendam* etc.; eundemque 6, 40 *prima mihi voluptas est sviscitari, quem statum sanitatis habeatis*. Sed praeterea, quod est *bona parcendi voluptas*, commate post verbum *certandi* posito, coniungi praestat, ne *bona* etiam ad certandi voluptatem pertineat. *Bona* enim est mitis, lenis, aequa, ut apud Virgil. Eclog. 5, 65 *sis bonus o felixque tuis*. Denique pugnandi et parcendi studium armatos vicisse dicitur, victos amasse. Cf. ad v. 19. Noli enim Romam intelligere, quod vulgo fit, distractis inter se versibus et interpunctione diremptis; nam eam paulo post altera persona alloquitur. Idem autem hoc, quod factum esse ait Rutilius, dudum Romae praeceperat Virgilius Aen. 6, 851 *tu regere imperio populos, Ro-*

mane, memento-parcere subiectis et debellare superbos, ex quo etiam Claudianus sumpsit bell. Gild. 97 (populus Romanus), *quem semper in armis horribilem gentes, placidum sensere subactae.*

73. Recenset homo Stoicae, ut vidimus, disciplinae studiosus humani generis aliquot benefactores, qui dii facti sint: sic Romam, utpote quae totum orbem terrarum in unum conciliarit, deam esse significat deamque paulo post nominat. Oleam Minerva invenit, vinum Bacchus, agri culturam Triptolemus, Celei, regis Eleusinii, filius, de quo Ceres apud Ovidium Fast. 4, 559 *iste quidem mortalis erit: sed primus arabit et seret et culta praemia tollet humo.* Medicinae autem inventorem dicit Paeonem, qui ipse deus deos curat in Olympo apud Homerum Iliad. 5, 401 et 899 et Odyss. 4, 232. Ausonius ad Syagr. 13 *genitor studuit medicinae, disciplinarum quae dedit una deum;* Plin. nat. hist. 29 init. (medicina) *diis primum inventores suos assignavit et coelo dicavit.* Denique Hercules *deus factus.* Sic enim scribendum esse vidit iam Castalio ceterique plerique editores, cum fuisset antea *fraetus et Alcides,* pro quo frustra Barthius in Adversariis emendabat *fretus it,* frustra item Cannegieterus ad Avian. 24, 2 *cretus et.* Deum autem factum esse ait *nobilitate* i. e. non, ut Wernsdorfius interpretatur, virtute ac magnanimitate (nec enim ea latine dicitur nobilitas), sed fama ac gloria rerum gestarum, ut Cicero de off. 3, 5 med. *Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio coelestium collocavit.* Cf. eundem Tuscul. 1, 12, 28 et 14, 32 et de natur. deor. 2, 24 init. Nec tamen *nobilitas* omnibus placuit; nam Castalio *mobilitatem* mavult, vitium pro virtute, Almeloveenius vero, cum *ferocitate* corrigit, inscitiae crimen subit. Alius quidam in Bibliothec. univers. Tom. V p. 248 et Io. Clericus A. C. Vol. II p. 75 ita mutabant *fa-*

ctus et Alcides nobilis arte deus, Crusius Probab. Critic. p. 56 *aedes Paeoniam meruit medicina per artem, prodit et Alciden nobilis ara deum*, quae commemoro, ut appareat, quam cupide homines docti in Rutilio ingenium suum exercere voluerint.

79. Romanus ubique recessus i. e. per totum orbem terrarum (id enim est *ubique*) si qui etiam est recessus, sive remotior a frequentiori populorum usu terra, tamen ea, quoniam ad Romanum imperium pertinet, te veneratur ac celebrat. Recessum ex plurimo poëtarum usu dixit, ut Claudiani Stilich. 3, 157 *et horrendos quondam penetrare recessus* imitatione, quam Wernsdorfius statuit, non opus sit. Eadem notione *angulus* dicitur, ut apud Velleium 2, 102 *ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere quam Romam regredi mallet;* Cic. in Cat. 2, 8 extr. *nemo non modo Romae, sed nec ullo in angulo Italiae;* Ovid. Trist. 1, 3, 24. Multa eiusmodi exempla congessit Io. Savaro ad Sidon. Apoll. Ep. 3, 1. Nec recte Burmannus coniiciebat *Romanus ubique receptus:* nimirum loco ille *colla* esse negabat. At quotiens terrarum nomina pro populis ponuntur!

82. pulchrius imperium. Apte confertur ab interpretibus Horat. carm. saec. 11 *alme Sol possis nihil urbe Roma visere maius*, et Virgil Georg. 2, 534 *scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.*

83. quid simile Assyriis? sqq. In summa explicatione non recedo ab iis, quae in Observat. p. 107 exposui. Cum enim editio Bononiensis sic habeat *quid simile Assyriis arma suos*, Castalio ceterique editores scripserunt *quid simile? Assyriis* etc.; soli Pithoeus et Heinsius eam interpungendi rationem, quam nostra editio secuta est, probarunt. Quae sola vera est. Poëta Romanos cum ceteris populis, qui magna imperia tenuerunt, comparat. Quos quinque et plerumque

numeratos esse et hic esse numerandos apparet ex Claud. Stilich. 3, 163 *sic Medus ademit Assyrio Medoque tulit moderamina Perses. Subiecit Macedo Persen cessurus et ipse Romanis,* et ex Aristide de laud. Romae p. 362 καὶ ἐδούλευσαν Μακεδόνες Πέρσαις, Πέρσαι Μήδοις, Μῆδοι Σύροις, ὑμᾶς δὲ ἐκ τοσούτου κάντες ἴσασιν, οἷς ὅτουτερ ἴσασιν, ἄρχοντας, quae non dubito, quin Namatianus hic imitari voluerit, ita tamen, ut Medos et Persas coniungeret adderetque Parthos. Habere igitur unusquisque populus debet suum enuntiatum, quam rationem Burmannus ita efficere volebat, ut pro eo, quod est *cum*, faceret *tum*. Nec vero quod ex codice nostro nunc restituendum est, *armis*, vulgatam illam rationem patitur. Itaque *quid simile Assyriis?* intellige *quid habent Assyrii simile imperio Romano?* In quo cum duo potissimum essent singularia, quod et per totam orbem terrarum pertinebat, nec armis solum, verum etiam legibus eos, quos subiecerat, continebat, Medi sive Persae (hi enim sub illorum nomine latent) *armis* solum i. e. vi ac bello nonnullos populos sub idem imperium coëgerunt, ne sic quidem ultra finitimos progressi. Et haec quidem de sententia; de oratione ipsa poëta suo more subiectum enuntiationis primariae in secundariam transtulit, ut infra v. 433 *sic dubitanda solet gracili vanescere cornu defessisque oculis luna reperta latet*, et v. 103 *nec minus et propriis celebrantur roscida venis totaque nativo moenia fonte sonant.* Quamquam hoc quidem loco, si quis *Medis* praetulerit, non magnopere repugnabo. Burmannus et Wernsdorfius dum *arva* corrigunt, quae a Medis connexa sint, id ipsum pessumdant, in quo maxime discrimen huius populi et Romanorum situm est. Vonckius in lect. lat. lib. 1, 2 p. 15 ita hoc distichon matat: *quid simile? Assyrii connectere contigit arva Medis, finitimos cum domuere suos;* Crusius in Probab. Critic. p. 57

ita: *quid simile Assyriis comprendere* (vel *contendere*) *contigit armis?*

85. magni Parthorum reges Macetumque tyranni. *Parthos* intelligo, qui suo et proprio nomine dicuntur, quorum reges constat a Persicis *magnorum* cognomen sibi sumpsisse. Nec enim credo Wernsdorfio ceterisque interpretibus, qui Persas intelligunt, populum antiquiorem nominari posse a recentiori. *Macetum tyrannos* dicit Syriae reges Macedonicos, inter quos et inter Parthos notum est plurima de imperio Asiae bella gesta esse, vario quidem eventu, ut modo hi, modo illi vincerent, quare eos *mutua iura dedisse* ait i. e. mutuo imperitasse. Scripsi autem *Macetum*, quoniam a nominativo *Macetae*, graece Μακέται, qui est apud Gellium 9, 3, deducitur. Vide interpretes ad Lucan. 2, 647, et 5, 2.

87. plures animaeque manusque. Wernsdorfius *plures animas* de hominum, quos Roma, cum conderetur, habebat, numero explicat, quod qui statuit, eum *manus* oportet eorundem hominum vires intelligere, quod hac quidem re parum differt ab animis. Quidni in persona Romae consistimus, eique nascenti non plures animas aut plures manus, quam reliquis imperiorum praesidibus, datas esse a natura putamus i. e. unam modo animam sive vitam duasque manus? Sic poëtam voluisse mihi persuasi. Atque sensit tale quid iam Burmannus, qui h. l. ad Geryonis fabulam, qui tres animae et sex manus tribui solerent, respici ait. Eodem pertinet, quod *nascenti* ait et quod *consilium iudiciumque* eiusdem est personae atque anima et manus. Pro hoc autem temere Crusius Probab. critic. p. 57 *consilii iustitiaeque* correxit. Nam eadem ratione Cicero Ep. 10, 25 *omnino plura me scribere, cum tuum tantum consilium iudiciumque sit, non ita necesse arbitrabar*. Copiosius autem hoc, quod breviter Namatianus *consilium iudiciumque* vocat, Ari-

stides exequitur Panegyr. p. 334 sqq., efficitque, nullum ante Romanos populum regnandi peritum fuisse: ideo omnium aut brevia aut exigua fuisse imperia.

90. nobilis gloria i. e. tu, quae gloriam adepta es (vide supra ad v. 19), nobilis sive nobilitata, clara iustis bellorum causis et pace non superba summas opes assecuta es. Nec enim recte ablat. *iustis causis* et *pace superba* ab eo, quod est *nobilis*, vulgo interpunctione seiungi video. Eorum autem, quae sequuntur, haec sententia: dii tibi haec fata, hanc fortunam nascenti destinarunt, ut in orbe terrarum imperares; sed maius etiam est, quod meritis tuis effecisti, ut imperio digna esses. Quod Crusius Prob. Crit. p. 57 corrigebat: *quodque regis, minus est, quam quod rexisse mereris* (i. e. mereris plura regere, quam regis) *excedisque actis grandia fata tuis*, facile spernemus. Paulo post quod scripsimus *grandia fata*, cum in codice et in editione principe esset *grandia facta*, dudum id Onuphrius coniectura restituit.

93. densis decora alta tropaeis. Decora sunt aedificia propter magnificentiam pulchra, quod pecunia ab hoste capta extructa erant, honesta. Quae quidem antiquitus spoliis ornari solebant, Liv. 22, 57 *et vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque.* Postea arcus maxime ianique ad victoriarum memoriam propagandam extrui solebant; Suet. Domit. 13 *Ianos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum per regiones urbis tantos ac tot extruxit, ut* cet. Quare Claudian. VI Honor. cos. 50 *spoliisque micantes innumeros arcus*; id. Stilich. 3, 67 *indutosque arcus spoliis aequataque templa nubibus et quicquid tanti struxere triumphi.* Iunge autem *alta densis tropaeis* i. e. spoliorum multitudine evecta; nam Statius quidem Silv. 4, 3, 97, quos Domitianus arcus fecerat, cum Iride comparat: *huius ianua prosperumque limen arcus belligeri ducis tropaeis et totis Ligu-*

gurum nitens metallis, quantus, nubila qui coronat imbri.

95. delubra micantia. De iisdem Claudian. Hon. VI cons. 51 *acies stupet igne metalli et circumfuso trepidans obtunditur auro;* idem Stilich. 3, 133 *quae luce metalli aemula vicinis fastigia conserit astris.* Nimirum multorum templorum, ut intus laquearia, ita extra tecta auro indicta erant, quare *aurea* sive *aurata* et *fulgentia* et *fulva* dici solent. De Capitolio hoc docet Iustus Ryckius de Capit. Rom. c. 16, Procopiusque de bell. Vandal. 1, 5 init. Vandalos narrat expugnata urbe partem dimidiam tegularum Iovis Capitolini inauratarum in Africam secum asportasse. Item in Veneris et Romae aedibus quae fuerant tegulae auro inductae, eas postea a papa Honorio I, imperatore Phoca, ademptas esse narrat Bunsenius in descriptione Romae Vol. I p. 240. Ipsos deos deinde sit magnificentius habitare non posse in coelo sive Olympo suo. Quo non contentus Burmannus pro eo, quod est *sic*, volebat *hic*. Quasi re vera Rutilius aedes sacras etiam habitationes deorum ipsas esse putarit.

97. quid loquar sqq. Aquaeductuum Romanorum magnificentiam laudat propter ingentes arcus substructionesque, quibus aqua transmittebatur, quorum tanta erat moles, ut Anienem novum, cuius arcus erant altissimi, quibusdam locis centum novem pedes sublevari dicat Frontin. de aquaedict. c. 15. Itaque poëtica hyperbola usus Nametianus Iridem comparat, non minus, opinor, recte, quam paulo supra ad v. 93 cum eadem arcus Domitiani a Statio componi commemoravimus. Erant autem omnino Romae Nerva imperatore novem aquaeductus, quos luculentissime Frontinus singulari, qui extat, libello descripsit. Post additos esse quinque constat ex Procopio de bell. Goth. 1, 19. Vide Bunsenium in descriptione Romae Vol. I p. 195—207, Fabrettum de aquaeductibus Romae 1680

(in Graevii Thesauro Antiquit. Rom. Tom. IV). *Fornices* autem in hoc aquaeductuum opere vocabantur arcus, quibus innitebantur *rivi* sive canales ipsi, quibus aqua ducitur, nonnunquam ἐς τοσοῦτον εὔρους καὶ βάθους, ut ait Procopius l. l., διήκοντες, ὥστε ἀνθρώπῳ ἵππῳ ὀχουμένῳ ἐνταῦθα ἱππεύειν δυνατὰ εἶναι. Insequenti versu quod est *qua vix tolleret Iris aquas*, consulto mihi quidem poëta videtur posuisse *qua*, pro quo non recte Burmannus malebat *par vix imbriferas* vel certe *quo vix*. Iris enim vapores et aquas ex terra collecta ad nubes attollit, ut Ovid. Met. 1, 271 *concipit Iris aquas alimentaque nubibus offert*, Virg. Georg. 1, 380 *et bibit ingens arcus*. Quare si *quo* dicitur, aquaeductuum arcus cum nubibus contenduntur, quod quis non videt noluisse poëtam? Itaque hoc ait, aquaeductuum arcus eadem parte aëris pendere, qua vel per quam Iridis arcus aquas ad nubes attollat. *Imbriferas* autem vocat eas aquas, quia imbrem ferre, in terras effundere putantur, quare ipsa Iris est imbrifera apud Tibull. Eleg. 1, 4, 43 *quamvis praetexens picea ferrugine coelum venturam admittat imbrifer arcus aquam*.

99. hos potius dicas sqq. Abusi sunt hoc loco multi interpretes, ut *potius* nonnunquam eo membro, quod ei responderet, omisso poni demonstrarent, qua de re dixi ad v. 1. Hoc quidem loco facile audiri apparet *quam de quibus est in fabula*. Causa tamen ea videtur fuisse Crusio Probab. Crit. p. 57, ut totum locum ita mutaret *tot scopulis dicas crevisse in sidera moles*, item Barthio et Dammio, ut versu insequenti pro eo, quod est *tale*, alter mallet edi, alter ederet ipse *quale*. Pro eo autem, quod est *dicas in sidera* Keuchenius ad Frontin. de aquaeduct. p. 371 scribebat *dicam ad sidera*, ex quibus Kappius certe hoc *ad sidera* probavit, nulla idonea causa. Quid enim ab hoc loco differt Ovid. Fast. 4, 328 *index lae-*

titiae fertur in astra sonus? Sequenti autem versu scripsimus primum *giganteum*, ut solet latine, Horat. Carm. 3, 1, 7; Propert. 1, 21, 9; Ovid. Trist. 2, 71. Nam Graece quidem est etiam γιγαντεῖον, ut non omnino spernam, quod in editione principe est, *gigantaeum*. Deinde *laudet* i. e. dicat, nominet Graecia tale, si quod habet opus. Coniunctivum enim ex margine cod. Vindob. ideo praetuli, quia nullum esse in Graecia tale opus significat, ideoque iam dudum ita voluerat Vonckius lect. lat. p. 16, cum esset in editionibus omnibus *laudat*. De iisdem autem his aquaeductibus Plinius nat. hist. 36, 15, 9 *si quis diligentius aestimaverit aquarum abundantiam, extructos arcus, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum;* itemque Frontinus de aquaeduct. 16 *tot aquarum tam multis necessariis molibus pyramides, videlicet otiosas, compares aut cetera inertia, sed fama celebrata, opera Graecorum?*

101. intercepta-muris. Flumina dicit Anienem, qui primum eo ductu, cui nomen erat Anio vetus, deinde usque ad Nervam altero etiam, qui Anio novus vocabatur, in urbis usus adducebatur (vide Frontin. c. 90 et 15 et 93), minoresque aliquot flavios, ut Curtium et Caeruleum, ex quibus Claudia ducebatur, (Frontin. c. 14) ut Herculaneum, quo adiuvabatur Anio vetus (ibid. c. 15), ut alios aliquot, ex quibus ductus post Nervam extructi profluebant, quos minus novimus. Quod autem eas aquas *Romae muris* condi ait, addit non sine causa. Multo enim plus aquae, quam in urbem perveniebat, concipiebatur in capitibus aquaeductuum, sed detrahebatur ad agros suburbanos irrigandos. Vide rationem, quam eius rei accuratissimam iniit Bunsenius in descriptione Rom. Vol. I p. 199. Quare improbandum, quod Keuchenius ad Frontin. p. 371 coniecit *suis-muris*, quod pertinere ait ad sub-

structiones, quibus rivi innitebantur, quarum proprium nomen erat murorum. Cf. vetus senatus consultum apud Frontin. c. 127 et 129.

102. consumunt-lacus, ut Alsietinum aqua Alsietina, quam Augustus, cum naumachiae opus aggrederetur, adduxit (Frontin. c. 11), ut Sabatinum aqua Sabatina (cf. Festum s. v.), ut Sublacensem Anio novus (Frontin. c. 93). *Celsa lavacra* Wernsdorfius a Barthio deceptus intelligit privatas balneas, in quas aqua per fistulas latentes ex lacubus deduceretur. Eos enim, opinor, intelligebat lacus, qui erant innumeri in urbe ad recipiendam et conservandam aquam (Wasserbehälter). At id, cum legibus esset cautum et mala fraude hominum privatorum fieret, quid ad magnificentiam Romae pertinebat? Nec *lavacra* intelligo privata, sed publicas illas thermas, ingentia aedificia, quibus extruendis et maximo sumptu exornandis ab Augusti temporibus principes plebi gratificari studebant. Eaque *celsa* appellantur, quia alta sunt, non quod in superiore parte aedium fornicibus sint extructa, quod parum recte opinatur Wernsdorfius deceptus iis, quae in thermis vocantur suspensurae, de quibus cf. Lipsium ad Senec. Ep. 90, Bekkerum in Gallo Vol. II p. 37. Ii autem imperatores, qui splendidissimas thermas extruxerunt, ne quid aquae cetero usui publico demerent, peculiares aquaeductus addiderunt, quare Traiani, Antonini sunt et thermae et aquaeductus, Lampridius vero in Alexandro Severo c. 25 *thermas nominis sui* (constituit) *iuxta eas, quae Neronianae fuerunt, aqua inducta, quae Alexandrina nunc dicitur*. Sed etiam praeter haec multum aquae consumptum esse in balneis apparet ex iis, quae Frontinus de aqua Marcia c. 91, de Aniene novo c. 91 et 94, alibi narrat.

103. propriis celebrantur roscida venis i. e. frequentes intra moenia urbis Romae sunt venae, quibus ea roscida redduntur. Celebrare enim aliquid

aliqua re h. l. est efficere, ut aliquid frequens sit in aliqua re, ut Tibull. 1, 6, 17 *neu iuvenes celebret multo sermone, caveto* i. e. neu frequenti iuvenum sermone utatur; Ovid. Met. 2, 252 *et quae Maeonias celebrabant carmine ripas, flumineae volucres* i. e. quae in Maeoniis ripis frequentes cantus exercebant; idem Trist. 5, 6, 37 *quam multa madidae celebrantur arundine fossae;* idque, in quo est frequens aliquid, dicitur *celebre*, ut Ovid. Met. 8, 627 *celebres mergis fulicisque palustribus undae. Venae* autem dicuntur aquarum fontes, *moenia* ipsa urbs, quam moenia complectuntur, ut saepe. De re ipsa Cicero de republ. 2, 6, 11 Romulum delegisse ait condendae urbi *locum et fontibus abundantem et in regione pestilenti salubrem.* Plenissime autem res explicata est in Bunsenii descript. Rom. Vol. I p. 135.

105. hinc. De aquae abundantia, quae Romae est, dicit. Quae quia et aquarumductibus et nativis fontibus abundat, fit, ut et aestus Romanis molestus non sit, et *puriore*, quam alibi, aqua ad bibendum utantur. Nec enim de ingenita modo fontinali aqua dicit, cum adductas etiam aquas bibendo inservisse satis constet, Marciam imprimis, de qua Plin. nat. hist. 31, 3, 24 *clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma praeconio urbis, Marcia est, inter reliqua deum munere urbi tributa;* eique bonitate proxima est Claudia, ut ait Frontin. c. 13. *Frigidus halitus* est frigus ex aquis illis exhalatum, qui saepe *spiritus* vocatur, ut apud Calpurn. 4, 4 *levatque diem* (i. e. diei aestum) *vicini spiritus amnis;* Lucretium 3, 223 *spiritus unguenti suavis diffugit in auras. Innocuam sitim* non intelligo cum Barthio et Wernsdorfio *naturalem*, praeter quam sitis est nulla, sed eam, quae non nocet, quia purissima aqua levatur.

107. nempe tibi sqq. Exceptionem addit, quae

demonstret tamen illud, abundare solum Romanum fontinali aqua. Eandem autem fabulam de Romanis ab Sabinis (is enim *hostis premens* intelligitur) fonte calido diremptis narrant Ovid. Fast. 1, 265 sqq. et Macrob. Saturn. 1, 9; ex recentioribus nuperrime Bunsenius in descript. Romae Vol. I p. 145, cui cum cetera facile credam, illud tamen credere vix in animum possum inducere, ex Macrobio, qui aperto errore Ianualem portam, quam loco, ubi aquae prosiluissent, deo positam esse fama erat, ad radicem montis Viminalis collocat, totam hanc narrationem, insertam quippe ab librariis, tollendam esse. Ipsius potius Macrobii error videtur fuisse, cuius tempore cum fama fabulae mansisset, loci natura omnino mutata esset, qui non diligentius in rem inquisisset, facile decipi poterat. *Tarpeiae* autem *viae* sunt, quae ex rupe Tarpeia ad montem Palatinum ducunt; hostes enim in saxo Tarpeio, Romani in Palatino constiterant.

109. aeternus-rediturus erat. *Aeternus* est, qui non uno modo tempore, sed semper fluit, ut apud Ovid. Amor. 3, 6, 20 *tu potius, ripis effuse capacibus amnis (sic aeternus eas) labere fine tuo;* idemque Met. 15, 550 *gelidum de corpore fontem fecit et æternas artus tenuavit in undas.* Commemoravi Burmanni et Wernsdorfii causa, qui parum recte aeternos fontes h. l. torrentibus et confluviis opponi putant. Pro *redeundi* verbo Heinsius *pereundi* malebat, Cannegieterus ad Avian. p. 2 pro nominativo *qui* dativ. *cui.* At, cum redire sit ire eo, unde veneris, flumen, quod prodiit ex terra, redit, cum conditur in terram, quod conditum est, redit, cum prodit; atque hac ratione est apud Lucilium Aetna 131 *quodsi praecipiti conduntur flumina terra, condita si redeunt.*

111. quid loquar etc. Wernsdorfius cum accuratissime hunc locum illustrarit peculiaremque excursum addiderit, non omnia tamen, quo quidque per-

tineret, perspexit. Dicit autem h. l. poëta de viridariis et arboretis (Treib- und Gewächshäusern), quae specularibus obiectis a ventis et frigore hiemali defendebantur, de quibus potissima, quae nota sunt, collegit nuper Bekkerus in Gallo Vol. I p. 289. Addo ex Rutiliani temporis scriptoribus Pacatum Panegyr. Theod. Aug. 14 *parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernae poculis rosae innatassent;* ibidemque paullo ante *peregrini aëris volucres; alieni temporis flores* commemorantur. Illorum igitur viridariorum primum hic erat usus, ut essent aviaria, deinde ut arbores et poma et flores quovis anni tempore conservarentur in iis et provenirent. Huc enim pertinent, quae paulo post sunt *vere tuo* sqq. Nec enim credo, quod Wernsdorfius in excursu laudato exponit, illa, quae sunt *vere tuo-annus*, pertinere ad aedes ita extructas, ut nec aestate calor nimius nec hieme frigus nimis vehemens esset, qua de re cf. Bekkerum in Gallo Vol. I p. 263. Scripsimus autem Onuphrium et Burmannum et Wernsdorfium et codicem denique nostrum secuti *vernula qua* (i. e. ubi) *vario carmine ludit avis*, cum editio princeps habeat *vernulaque* (i. e. opinor, *quae) ludat*, quod Dammius sic explicat: *quid loquar, quae et qualia et quam dulcia auditu sonet vernacula avis.* Pithoeus autem emendarat *quis* (i. e. in quibus silvis) *ludit*, Graevius *quam* (i. e. quam vario) *ludat*, Crusius Probab. Crit. p. 58 *quam vario carmine laudet avis*, Barthius Advers. 22, 17, qui singulare aliquid quaerebat, *qua Ismario carmine ludat. Vernula* autem avis est indigena, quae plerumque *vernacula* dicitur, ut apud Varron. de re rustic. 3, 5, 7 *aves vernaculae*, Cicer. de orat. 3, 24 *res vernaculae*, eundem Ep. 9, 15 *festivitatem vernaculam*, quod imitatus est Petron. Satyr. c. 24. Sed item *verna* adiectivum usurpatur, apud Martialem maxime, ut 1, 50, 24 *vernas apros;*

13, 43 *vernae tuberes;* 10, 30, 21 *piscina rhombum pascit et lupos vernas;* raro *vernula*, ut apud eundem Martialem 5, 18 *praeter libellos vernulas nihil misi*, quos libros 3, 1 *vernas* appellat. Burmannus vero ad Petronium c. 120 *vernulam avem* contra latinitatis usum hic dici putavit, quae vere caneret, quemadmodum Ovid. Trist. 3, 12, 8 *indocilique loquax gutture vernat avis*, quo loco quia codices nonnulli *vernandi* verbo substituunt *garriendi*, Scriverius Rutilium quoque *garrulam avem* dixisse suspicabatur. Paulo post quae est *victa hiems*, Crusius Probab. Crit. p. 58 mutabat in *auctam* i. e. provisis et conditis copiis locupletatam, Schraderus vero in *strictam* vel *vinctam*.

115. Romam quia poëta orbis terrarum dominam esse credit, praesens periculum urbi imminens praeteriturum esse significat, confiditque mox eam veterem vigorem esse recuperaturam. Itaque primum admonet, ut *lauros crinales* clade a barbaris accepta depressas erigat. Lauro enim solet dea redimiri, quare Sidon. Apollin. Carm. 2, 393 eam describens *infula*, inquit, *laurus erat*. Deinde eam ornari et iuvenilem videri vult, comis apte dispositis, ne senium et canities appareat. Hoc est enim *senium-sacrati verticis in virides-refinge comas*, quod recte ab Heinsio emendatum, probatum a Burmanno, editum a Dammio et Werusdorfio existimo, cum et fuisset antea et sit in cod. Vind. *recinge*. Neque enim aut canities accingi et recingi potest aut *recingere in virides comas* videtur esse latinum. Fingendi vero verbum saepe de coma dici Heinsius docet ad Ovid. Amor. 1, 14, 2. De eodem autem Romae senio Prudentius in Symmach. 2, 655 *senium omne renascens deposui vidique meam flavescere rursus canitiem;* atque Claudianus bell. Gild. 208 sic describit Romam pristinas vires resumentem: *afflavit Romam meliore iuventa. Continuo redit ille vigor seniique colorem mutavere co-*

mae, solidatam crista resurgens erexit galeam clipeique recanduit orbis et levis excussa micuit rubigine cornus, quos locos Sitzmannus et Castalio attulerunt.

117. aurea turrigero-vomat. Plerumque galea Romae deae tribuitur, ut apud Claudian. bell. Gild. 23 *humeris vix sustinet aegris* (Roma dea) *squalentem clipeum, laxata casside prodit canitiem plenamque trahit rubiginis hastam;* eundemque in Probin. et Olybr. coss. 92 *galeaeque minaci-praetenditur umbra iubarum;* Prudentium in Symmachum 2, 662 de eadem dea *cum galeam sub fronde oleae cristasque rubentes concutio.* Sidonius autem Apollin. *turritam* esse ait Romae deae galeam Carm. 5, 13 *sederat exerto bellatrix pectore Roma cristatum turrita caput, cui pone capaci casside prolapsus perfundit terga capillus,* et Carm. 2, 390 *quas* (preces) *diva secuta apparat ire viam, laxatos torva capillos stringit et inclusae latuerunt casside turres,* atque eundem cultum Roma dea habet apud Millin. in galler. mytholog. tab. 180. Sed ne hic quoque *galeam* turritam significari credam Barthio, *diadema* facit *aureum* i. e. auro intextum et gemmis cultum, cum quo galea non convenit. Lucanum sequi maluit Rutilius, qui 1, 179 ita ait: *turrigero canos effundens vertice crines,* eaque corona turrita cincta est Victoria apud Millinum tab. 39, quod ne alienum existimes ab hoc tempore, idem ornatus est Italiae deae in tabulis notitiae dignitatum utriusque imperii additis. *Perpetuos* autem *ignes* sumpsit a Virgilio Aen. 10, 272 *et vastos umbo vomit aureus ignes.* Clipeo autem armatam fingi Romam ostendunt et Claudiani loci, quos attuli, et Sid. Carm. 2, 395 *inseritur clipeo victrix manus; illius orbem Martigenae, lupa, Tibris, Amor, Mars, Ilia complent.*

119. deleta-iniuria. Non credo Castalioni et

Wernsdorfio, qui *deletam iniuriam* interpretantur *oblivionem iniuriae*. Iniuria enim ad vim homini illatam pertinere solet. Atque Roma gravem plagam acceperat *tristi* illo *casu*, cum capta est ab Alarico. Eius igitur iniuriae monet deam, ut aboleat vestigia in ore atque habitu apparentia, ut nihil passa esse videatur. Itaque additur de *vulneribus* et de *contempto dolore* i. e. non curato, neglecto, non *contento* modo, quod ipsum Castalio coniiciebat. *Solidandi* autem verbum medicorum proprium est, praecipue de ossibus fractis, ut apud Plinium Ep. 8, 20, 4, *vis* (est lacui), *qua fracta solidantur*; Plin. nat. hist. 28, 16 (65), sed etiam de aliis vulneribus, ut apud Celsum de medic. 8, 6.

121. adversis sollemne tuis. Quod et in codice nostro et in editione principe est *solem ne vis*, cum, ut est ineptum, ita videretur interpretibus, Simlerus emendavit *sollemne tuis*, Castalio maluit *sollemne viris*, qua re, quod poëta unius Romae proprium esse ait, cum multis communicat, Burmannus, cum Simlerianum edidisset, tentabat tamen *sollemne tibi* vel *sollemne vices sperare secundas*, ex quibus illud probarem, nisi Simlerianum Rutilianae aetati magis convenire videretur. Est enim *adversis tuis* idem quod *tibi in adversa fortuna constitutae*, ut supra v. 19 *mea fortuna*. Toto autem hoc loco Rutilius Horatium Carm. 4, 4, 53—68 videtur imitatus esse, quem iam Claudianus Stilich. 3, 144 sqq. expresserat. Itaque cum apud illum sit de Roma *per damna, per caedes ab ipso ducit opes animosque ferro*, urbsque cum hydra Lernaea comparetur, de qua Ovidius Heroid. 9, 96 *damnis dives ab ipsa suis*, apud Claudianum autem *nunquam succubuit damnis*, Rutilius paulo post *ditia damna subis* dicit, docteque addit *exemplo caeli*, quoniam damna saepissime dicuntur coeli cum ceterorum siderum, tum lunae.

125. non distulit. Burmannus *non sustulit* vel

modo distulit maluit, quia multo post urbem captam Brennus interisset in Graecia. Sed satis poenae erat vinci et pelli a M. Furio Camillo dictatore, ultore nominis Romani. Res ipsa celebratissima, item de Pyrrho, de Samnitibus, de Hannibale, eademque virtutis Romanae exempla elegit Claudian. bell. Get. 145 sqq. et in Eutrop. 1, 463. *Foedera saeva*, quae temere Schraderus *foeda* malebat, sunt Caudina, anno 321 a. Chr. coss. T. Veturio Calvino II Sp. Postumio Albino II facta.

129. nisu-resurgunt. Cum in participio verbi nitendi et *nisus* et *nixus* dicatur, substantivum tamen ubique secundum codices et plures et meliores *nisus* scribitur. Vide Moserum ad Ciceron. de nat. deor. 2, 46 init. et, qui ab eo laudatur, Drakenborch. ad Sil. Ital. 2, 123. Idem h. l. confirmat codex noster. Pro eo autem, quod sequitur *resurgit*, Burmannus ex Seneca nat. quaest. 2, 9 *discus non descendit, sed resilit* sine causa commendabat *resultat*. Nam *resurgere* eadem notione est apud Ovid. Fast. 1, 523 *victa tamen vinces eversaque Troia resurges;* et ex Ponto 4, 8, 28 *obruta de mediis cymba resurget aquis*, atque in simillima sententia *surgere* apud Sidon. Apollinarem Carm. 7 init. *sidera sunt isti, quae sicut mersa nitescunt, adversis sic Roma micat, cui fixus ab ortu ordo fuit crevisse malis, modo principe surget;* et Carm. 5, 64 *tua* (i. e. Romae) *nempe putantur surgere fata malis.* Paulo post quod est *altius acta*, malo ea intelligere, quae in superiorem locum feruntur, quam ea, quae in inferiorem, quod Burmanno placuit et Wernsdorfio. Sic Plin. nat. hist. 2, 38 *vapor ex alto cadit rursumque in altum redit;* Ovid. Met. 8, 225 de Icaro *altius egit iter;* Statius Silv. 2, 1, 101 *vidi ego transertos alieno in robore ramos altius ire suis.* Idem autem hoc, quod

in codicis nostri margine est, dudum coniectura Pithoeus emendarat.

133. porrige victuras Romana in saecula leges i. e. porrige leges tuas, quae semper vivent, vel ita porrige, ut semper vivant et vigeant. Legibus enim idem accidere dicitur, quod hominibus, ut senescant, ut vigeant, ut vivant, ut denique moriantur. Claudian. IV Hon. 505 *priscam-resumunt canitiem leges;* Gellius Noct. Att. 20, 1 *populus Romanus passus est leges istas situ atque senio emori;* Liv. 34, 6, 5 *quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, et temporibus ipsis mutabiles esse video. Romana saecula* sunt ea, quae, sicut Roma ipsa, aeterna sunt. Apte Sitzmannus affert Stat. Silv. 1, 1, 94 *stabit, dum terra polusque, dum Romana dies,* cui addit Wernsdorfius Martial. Epigr. 9, 2, 8 *manebit altum Flaviae decus gentis cum sole et astris cumque luce Romana.* Dammius autem *leges* fata explicat, quae Romam aeternam fore spoponderant, quae certe nec vivere nec extendi possunt in saecula; Burmannus vero *Romanas ventura in saecula leges,* Schraderus *Romanas victura in saecula leges* coniecerunt. Quod porro est *porrige in saecula leges,* solent poëtae *ire, mitti, tolli in saecula* ea dicere, quae aeterna futura sunt, ut Silius Ital. 2, 511 *extendam leti decus atque in saecula mittam;* id. 12, 312 *factoque in saecula ituro;* Valerius Flacc. 1, 99 *poscere quos revehat rebusque in saecula tollat;* Plin. Panegyr. 55 init. *ibit in saecula, fuisse principem,* Claud. de Mallii Theodori Cons. 115 *nascentes ibant in saecula libri,* Lucan. 10, 533 *potuit discrimine summo Caesaris una dies in famam et saecula mitti.*

134. non vereare colos. Secundae personae coniunctivi animadverte additum esse *non* pro eo, quod debuerat esse *ne,* quod soloecum esse ait Quintil.

1, 1, 5. Ac rarissimi sunt similes loci; unum scio Horat. Serm. 2, 5, 91 *ultra non etiam sileas.* Nam primae et tertiae personae, in quibus minor est imperandi vis, frequentius *non* additur. Pro eo autem, quod a Castalione plerique ediderant *colus*, scripsi *colos*, quod sine varietate lectionis est apud Ovid. Fast. 3, 818; Stat. Silv. 1, 4, 64; Claud. Apon. 87. Cf. infra 2, 56.

135. quamvis sedecies etc. Wernsdorfius, qui annos 1169 praeterisse narrat, fallitur. Ibat is annus, p. Chr. 416. Varroniana autem aera poëtam usum esse demonstravimus in Observat. §. III.

137. nullis-metis. Sumpsit ex Virgilio Aen. 1, 278 *his* (i. e. Romanis) *ego nec metas rerum nec tempora pono: imperium sine fine dedi.* Ad ea, quae insequuntur, confer Stat. Silv. 1, 1, 93 *stabit dum terra polusque, dum Romana dies;* Claud. in Ruf. 2, 527 *dum rotet astra polus;* Tibull. 1, 4, 66 *dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.* Versu 140 pro *ordine* Heinsius malebat *cardo* nascendi, quod non patitur Sidonius, qui eum locum imitatus est, cf. ad v. 129. Idem supra v. 137, parum apta sententia, corrigebat *quin restant.*

141. ergo age-Gotae. Precatur, ut Getae subiiciantur. Hoc enim significat *sacrilegae cadat hostia gentis* i. e. gens ipsa tamquam hostia, qua sacrilegium captae Romae expietur. Similiter Claudian. in Eutrop. 1, 162 *et cecidit saevi, quod dixerat, hostia sacri;* Lucan. 9, 130 de Pompeio occiso *rege sub impuro Nilotica rura tenente-cecidit donati victima regni.* Nec vero illud eo valere debet, ut Getae mactandi esse videantur ad deorum aras, quod Barthius opinabatur. Cadit hostia, cum Gothi devincuntur, cum *submittunt-colla* ad iugum imponendum. *Perfidia* autem Gotherum hac aetate aeque celebrata atque olim fides Punica. Ammianus Marcell. 22, 7, 8 *Gothos saepe fallaces et perfidos* esse ait, et Sidon.

Apoll. Ep. 6, 6 *foedifragam gentem*, ad quem locum Io. Savaro aliquot alios locos scriptorum christianorum affert.

144. augustos-sinus, Romae deae, non imperatorum, quod non displicebat Wernsdorfio, placere videtur Burmanno; ad eandem enim pertinent, quae insequuntur.

145. Rhenus i. e. *Rhenus per utrumque latus.* Ita enim ut is Romae famuletur, precatur Claudian. in Prob. et Olybr. coss. 161. Ea regio cum semper fertilis fuisset, tum hoc tempore divitiis suis urbis inopiam videtur sustentasse. Stilicho certe, cum Gildo Africam teneret et retinendis classibus frumentariis Romam premeret, hoc fecerat, ut grandi copia frumenti ex Gallia et Germania advecta multitudinem Romanam esurientem aleret. Summis laudibus id effert Claudianus, ut in Eutrop. 1, 401 Romam ita loquentem facit: *Quam suspecta fames, quantum discriminis urbi, ni tua vel soceri* (i. e. Stilichonis vel Honorii) *nunquam non provida virtus australem arctois pensasset frugibus annum. Invectae Rhodano Tiberina per ostia classes, Cinyphiisque ferax Araris successit aristis. Teutonicus vomer Pyrenaeique iuvenci sudavere mihi* sqq., idemque de laudibus Stilichonis 2, 392 et 1, 220; et 3, 91. In *Nilo* poëtam agnoscas, cui unum et individuum videtur imperium Romanum, duobus tunc regnis laceratum. Alexandrina enim classis frumentaria, quam Lampridius Commod. 17 Commodum imperatorem instituisse ait, diviso imperio Romano Constantinopolin devehebatur, Africana sola Romae supererat. Queritur id Claud. bell. Gild. 60 *cum subiit par Roma mihi Aegyptia rura in partem cessere novam. Spes unica nobis restabat Libye, quae vix aegreque fovebat, solo ducta Noto*; ibidemque v. 113 *Libyam Gildo tenet, altera* (Roma i. e. Constantinopolis) *Nilum.* De tota

autem frumentatione et re annoraria confer Burmannum de vectigalibus pop. Rom. c. 2 p. 17 et c. 9 p. 143, et Lipsii Electa 1, 8. *Altricem* autem insequenti versu vocat Romam, quia orbem terrarum legibus ac iure, institutis ac moribus, omnibus denique bonis alit. Neque inscite Wernsdorfius addit imagines Romae deae designari, quae exertis uberibus apertaque mamma pingi soleat, quare Corippus de laud. Iust. 1, 289 *exerto et nudam gestantem pectore mammam, altricem imperii libertatisque parentem.* Cf. Sid. Apoll. Carm. 2, 389; 5, 13. Itaque facile spernentur Schraderiana commenta *rectricem* vel *tutricem* vel *auctricem.*

147. quin et fecundas tuo. Plus hoc est, quam quae antecedunt, quoniam et ante paucos annos Gildo Africam turbaverat, et tunc ipsum aliqui extiterant tyranni, qui ab retinendis classibus frumentariis seditionem inceperunt. Cf. Observat. p. 81. Pro eo autem, quod est *conferat*, Heynius ad Tibull. 4, 1, 185 coniicit *congerat*, ut apud Tibullum sit 1, 1, 1 *divitias alius fulvo sibi congerat auro*, Rutgersioque in var. lect. *conserat* placuit. Sed longe aptissimum *conferendi* verbum de donis quasi debitis. Plaut. Menaechm. 1, 2, 29 *quid dona cessent mihi conferre omnes congratulantes, quia pugnavi fortiter;* Nepos Agesil. 7, 3 *cum maxima munera ei ab regibus conferrentur;* Ovid. Amor. 1, 10, 58 *omne dominae suae conferre.* Quae insequuntur *sole suo imbre tuo* inde explicanda esse, quod vulgaris esset et Romanorum et Afrorum opinio, Boream nubes in Italia collectas in Africam conflare atque ibi imbrium ac fecunditatis causam esse, cum antea Barthius, Graevius, Damnius, Burmannus obscure significassent, uberius Wernsdorfius demonstravit ex antiquorum scholiastarum testimoniis ad Lucan. 9, 423 et ad Statii Theb. 8, 411. Antea cum *imber* male intelligeretur sanguis mul-

tus a militibus Romanis pro imperio in Africa profusus, Heinsius coniecerat *imbre suo.*

149. Interea-fluant. Hoc ait: per Italicos quoque agros frumenta colligantur et horrea conficiantur; nam *sulcis* ablativum esse malo quam dativum. Notum est autem, Italiae maximam partem incultam tum hortis ac silvis amoenis Romanorum servisse, ut Symmachus quidem Ep. 1, 5 queratur: *hic usus venit in nostram aetatem, ut rus, quod solebat alere, nunc alatur.* Inde saepe Romae caritas frumenti, saepe fames, cum classes frumentariae non advenissent. Ait autem *horrea consurgant* i. e. undique vel ubique existant, ut Lucilius Aetna 265 *plenaque desecto surgant foenilia campo.* Neque igitur Burmanniano opus est *turgescant horrea*, neque eo, quod emendabat vir quidam doctus in Observat. miscell. II, 3 p. 369 *consurgant hordea* aut *consurgat adorea.* Cum frumento autem *vini* abundantia coniungitur. Nam vinum publice cum cetera annona distribuebatur magnaque eius cura erat praefectis urbi atque imperatoribus. Cf. Theod. Cod. 11, 2, 1 et 2. Ne *oleum* nectare Hesperio significari Dammio credam, nectaris vox facit, non temere de oleo usurpata. Quamquam res ipsa facile pateretur, siquidem oleum et advehi consueverat ex Africa et saepe publice dividebatur. Cf. Gothofredum ad Theod. Cod. 14, 15, 3.

151—152. Confert orbis terrarum bona sua Romam et paratae sunt classes frumentariae, nec Italia non abundat omni copiarum genere. Itaque *aptari* vult Tiberis aquas, usitato in re navali vocabulo, quod est Ovid. de arte am. 2, 126 *aquae remigio aptae;* Horat. ad Pison. 65 *sterilisque diu palus aptaque remis.* Sunt autem aquae *famulae* i. e. famulantes Romae. Persaepe ea voce utitur Claudianus, ut de nupt. Hon. et Mariae 177 *agnoscat famulum virgo pantum;* cons. III Hon. 203 *et famulis Gangen pal-*

le-

lescere ripis; laud. Serenae 116 *Aurorae famulas properatur in urbes;* in Prob. et Olybr. coss. 160 *sic nobis Scythicus famuletur Araxes.* Nec vero alii spreverunt, ut Ovid. Fast. 1, 286 *tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas;* Auson. Mosell. 360 *famulis-lymphis;* Sidon. Apoll. Carm. 2, 93 *gurgite pacato famulum spectaret Orontem.* Pro eo autem, quod est *Romuleis-classibus*, cum in editione principe inepte esset *ossibus*, Barthius in Advers. emendabat *famulis iussibus*, Schraderus *Romuleas famulis classibus*, Scriverius *ausibus;* in editiones abiit *classibus*, quod Castalio et Iuretus ad Symmach. 2, 6, et *usibus*, quod Simlerus coniecerat. Illud codicis nostri auctoritas confirmat. Ipse autem Tiberis, ut, qui triumphant, lauro, sit *arundine triumphali* redimitus. Solent enim cum omnes fluvii (vide eorum imagines apud Millin. gall. myth. n. 100 et n. 309), tum Tiberis fingi arundinem circa caput gestantes, quare Ovid. Fast. 5, 637 *Tibris arundiferum medio caput extulit alveo*, Claudian. in Prob. et Olybr. coss. 217 de eodem Tiberi *vertice luxuriat toto crinalis arundo.*

155. pande-pontum. Sic recte editio princeps. Inepte Mariangelus Accursius diatribe in Auson. de clar. urbibus VIII coniecerat *pande-portum*, quod idem tamen est in codice nostro. Quid enim, quaeso, est *placare portum?* Quasi vero portus sit, cuius aquae non sint placatae, ac non, ubi placatum sit mare, portus dicatur. *Pandere* autem pontum est tranquillum reddere, ut tuto possit intrari, ut Valer. Flacc. 1, 525 *nec vulnere nostro aequora pande viris;* Mart. Epigr. 12, 99, 4 *cui rector aquarum albula navigerum per freta pandit iter*, neque absimili modo Valer. Flacc. 1, 7 *pelagi cui maior aperti gloria;* id. 1, 169 *pelagus quantos aperimus in usus*; Ovid. Met. 11, 397 *in aperti litora ponti.* Quod autem *gemino-Castore* dixit, est Castore et Polluce. Sole-

bat enim nobile illud par fratrum nonnunquam ab altero nominari, ut Tac. Hist. 2, 24 *locus Castorum vocatur*, Plin. nat. hist. 7, 22 *nam Cimbricae victoriae Castoresque Romani, qui Persicam victoriam nuntiavere, numinum fuere praesagia*, quod invertens dixit Horatius Carm. 3, 29 extr. *geminusque Pollux*. Invocat autem eos poëta, cum quia omnibus navigantibus adesse putabantur, tum quia singulare quoddam praesidium apud eos erat eorum, qui ex portu Romano proficiscebantur. Etenim Ostiae vel potius apud Ostiam celebre templum Castoris et Pollucis erat, in quo aliquando etiam ludos celebratos esse apparet ex inscriptione apud Gruter. p. 99, 2 (Burmann. Antholog. lat. lib. I ep. 47). Ibi qui ex portu abituri erant, sacrificare consueverant. Testatur Ammian. Marcell. 19, 10, 4 *moxque, dum Tertullus apud Ostia in aede sacrificabat Castorum, tranquillitas mare mollivit*. Neque vero ob eam rem Burmanniana coniectura *gemino placato Castore* opus est, nec credo Schradero *pacatum* pro eo, quod est *placatum*, coniicienti. De quo si ulla h. l. auctoritatum esset dissensio, cum difficillimum foret iudicare, non temere dissensionem movendam esse existimamus. Certe *placare mare* ex plurimorum et optimorum codicum consensu legitur apud Ovid. Met. 11, 432 *et cum velit, aequora placet;* Virg. Aen. 1, 142 *tumida aequora placat*.

156. dux Cytherea. Etiam Veneris non ignobile templum erat in insula, quae a Tiberi per duo ostia abeunte efficitur, cui sacrae nomen est. Vide Cluver. Ital. antiq. lib. III p. 879 et Vulpium in vetere Latio profano T. VI p. 202. Quare eandem Venerem cum Castoribus invocat Horatius Carm. 1, 3 init. ad Virgilium *sic te diva, potens Cypri, sic fratres Helenae, lucida sidera ventorumque regat pater*, cuius loci sententiam dubito an Namatianus h. l. imitatus sit. Verba ipsa fere expressit ex Ovidio Heroid. 19, 159

auso Venus ipsa favebit, sternet et aequoreas, aequore nata, vias, nisi quod *temperare aequor* dicere maluit, ut idem Ovid. Met. 12, 94 *et totum temperet aequor;* et Horat. Carm. 4, 12 init. *iam veris comites, quae mare temperant.*

157. regerem cum iura Quirini. Populus Romanus, quatenus pacis munera obit, Quirinus nominatur; quare Claud. IV Hon. 8 *discolor incedit legio positisque parumper bellorum signis sequitur vexilla Quirini;* id. Stilich. 3, 99 *hoc quoque maiestas augescit plena Quirini;* id. bell. Get. 639 *plena lacessito rediit vindicta Quirino;* id. VI cons. Hon. 9 *patriis plebem castris sociante Quirino.* Itaque *ius Quirini* usitatiore nomine est *ius Quiritium* vel *ius civile*, cui praefuerat aliquando Rutilius, cum esset praefectus urbi. Cf. Observat. §. V. *Iura* autem *regere* hac aetate est, quod meliores scriptores dicunt *iudiciis praeesse.* Ita Claudian. in Ruf. 2, 82 *nec pudet Ausonios currus et iura* (praefectus praetorio Italiae designatur) *regentem sumere deformes ritus;* idem in Eutrop. 2, 342 *pars compede suras cruraque signati nigro liventia ferro iura regunt;* idem Fl. Mallio Theodoro 24 de consulare Numidiae aut Byzacenae *hinc te pars Libyae moderantem iura probavit;* Sid. Apoll. Carm. 7, 297 *intemerata mihi praefectus iura regebat;* ibidemque 313 *iura igitur rexit*, quo loco Savaro plurima similia ex infimae latinitatis auctoribus affert.

158. si colui-patres. In Observat. §. V demonstravimus, ex Pertinacis fere temporibus praefectum urbis senatui praefuisse ac sententias rogasse idque mansisse usque ad extrema tempora imperii Romani; item quod Rutilius diceret *colere patres*, eo pertinere, quod consilia sua cum patribus communicare eorumque habere rationem consuesset, quae esset aliqua

laus, cum praefecti tanta esset potestas, ut tuto senatus auctoritatem negligere posset.

159. strinxerunt crimina ferrum. Accipiebat enim praefectus urbi, ut omnes, penes quos erant iudicia capitalia, gladium tamquam insigne quoddam potestatis suae ab imperatore, qua de re diximus in Observat. §. VI. Quare Stat. Silv. 5, 2, 176 *felix, qui magno iam nunc sub praeside iuras cuique sacer primum tradit Germanicus ensem.* Cf. maxime Gothofred. ad Theod. Cod. 9, 41 et Fabric. ad Dion. Cass. 68, 16. Mansitque is mos etiam medio aevo. Versu insequenti Heinsius et Burmannus, dum parum continenter ille *non id praefecti gloria*, hic *non ea praefecti gloria* corrigunt, immutabant sententiam. Poëta enim quietem urbis laudi sibi esse vult, modeste tamen declinat, ne se ipse extulisse videatur, coniunctivumque non sine certa quadam ratione posuit.

161. vitam componere i. e. in otio ac quiete domi manentem vitam finire. Cum enim componere proprie esset disponere et, quae inter se contraria sunt, conciliare, ut nota sunt illa *componere litem* et *bellum* et *curas*, sensim ascivit finiendi notionem, ut fere est apud Virgil. Aen. 1, 374 *diem clauso vesper componet Olympo.* Versu insequenti Kappius solus *oculis nunquam* edidit, quia, opinor, vitam componere quid esset, non intelligebat.

164. digneris. Dignari, ubi invenitur apud Ciceronem, passive invenitur, de invent. 1, 39, 114 *qui apud maiores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt;* ibid. 2, 53, 161; Academ. 1, 10, 36; de orat. 3, 7, 25; fragm. ex Oeconomicis ap. Priscian. 8, 4, 19 (Orell. p. 472). Ceteri melioris aetatis (Caesar autem et Sallustius et Quintilianus eo abstinere maluerunt) deponenti utuntur, idque iungunt vel ablativo vel infinitivo, qui a poëtis primum ex similitudine adiectivi *dignus* usurpatus est, ut valeret *dignum iudicare.*

Hac denique Rutilii aetate is usus invaluit, ut, sicut Graecum ἀξιοῦν, idem prope esset, quod *velle*, aliisque verbis urbanitatis cuiusdam causa adiiceretur. Multa imprimis eius generis exempla sunt apud Symmachum, ut Ep. 6, 28 *iustis itineris dimensionibus communi desiderio satisfacere dignemini;* 1, 93 *itaque virum-quaeso etiam me precante propensius fovere digneris;* 5, 23 *Anastasium nostrum dignaris agnoscere;* ibid. 25 *nostris negotiis diligentiam dignare praestare;* 6, 7 *quaeso, ut viro optimo Severo-auctor esse digneris;* 6, 15; 6, 28, saepius. Item adverbium *dignanter* hoc tempore idem quod *libenter*, ut Vopiscus Tacit. 8 *loquentem dignanter audite;* Symmach. 5, 65 *humanitatem-dignanter impertias.*

165. iter arripimus, ut Stat. Theb. 1, 100 *arripit extemplo Maleae de valle resurgens notum iter ad Thebas;* Claud. in Eutrop. 2, 406 *protinus excitis iter irremeabile signis arripit.* Idem est *corripere viam* apud Virgil. Aen. 1, 418 *corripuere viam interea, qua semita monstrat.* Atque haec quidem de incipientibus ire, de euntibus *rapere viam* dicitur, ut Sil. Ital. 9, 33 *dux sibi quisque viam rapito.*

166. dicere-vale. In codice Vind. prior manus ita scripserat: *dicere non possum lumine sicco vale*, altera vel eadem se ipsa corrigens supra postremas literas secundi et tertii ultimi vocabuli appinxit literam *a*, ultimae vero literae vocis *possum* hoc signum *t*. Ita haec, quae edidimus, efficiuntur, quae cum male scripta essent, occasionem dederunt eius erroris, qui est in vulgata lectione *non possum sicca dicere luce vale*, in qua, quod est *sicca luce*, iam non excusabitur. Offensionique fuit Heinsio, ut ad Ovid. Met. 2, 278 coniiceret *sicca voce*, quod satis Burmannus refutavit. Satis iucunde autem nec discedens a suo more poëta vale dicere ab lingua ad oculos trans-

fert. *Sicca* autem sunt lumina, quae non madefacta sunt lacrimis, ut Hor. Carm. 1, 3, 18 *qui siccis oculis monstra natantia vidit*; Prop. 1, 18, 11 *an poteris siccis mea fata reponere ocellis*; Claudian. bell. Gild. 130 *nec sicco Cybele nec stabat lumine Iuno*; Quintilian. 6, 2, 27 *siccis agenti oculis lacrimas dabit.*

168. Rufius. Est Ceionius Rufius Volusianus, idem qui infra v. 421 laudatur, nobilissimo genere oriundus, filius Ceionii Rufii Volusiani, praefecti urbis iterum an. 390, qui commemoratur apud Gruter. Inscript. p. 285, 8, nepos C. Ceionii Rufii Albini Volusiani, ex praefecti praetorio et ex praefecti urbi et Caeciniae Lollianae, pronepos Ceionii Rufii Albini, consulis anno 335, cuius pater C. Ceionius Rufius Volusianus corrector Italiae, proconsul Africae, praefectus urbi, consul denique fuit anno 314. Longam igitur vides seriem generis honoratissimi. Item superioribus temporibus Volusiorum gens non raro commemoratur, ut apud Ciceronem Ep. 16, 12 M. Volusius, idem, qui postea aedilis plebis proscriptus a triumviris singulari fallaciae genere mortem effugisse narratur a Valer. Maxim. 7, 3, 8, apud Tacitum plures Volusii. Imperator adeo fuit anno 252 Vibius Volusianus, C. Vibii Treboniani Galli filius. Ceteram Volusorum sive Volesorum (ambigitur enim vetustioribus temporibus) gentis memoriam exposuerunt Heinsius ad Ovid. ex Ponto 3, 2, 105 et interpretes ad Sil. Ital. 3, 8. Hic igitur genus repetebat ab antiquissimis Volscorum regibus *teste* quidem *Marone*, qui Aen. 11, 463 *tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis; duc, ait, et Rutulos*, eadem gloriae vanitate, qua Maecenatem beat Horatius. De *Albino* autem, huius patre, nihil mihi praeter hoc notum est; diversus enim ab eo alter Albinus, de quo infra v. 470 dicetur. De tota autem hac re expositum est in Observat. §. XXI.

171. huius facundae [illegible] Quaestoris dignitas

significatur, qua Volusianus functus erat, cuius hoc erat praecipuum munus, ut ea, quae princeps iussisset, in legum formam redigeret, quare *principis ore loqui* eum ait poëta, non *principis orsa*, quod Schraderus h. l. coniiciebat, ut Sidon. Apollin. Carm. 5, 575 *quaestor-cuius dignatur ab ore Caesar in orbe loqui*, idemque Carm. 1, 26 *aut vestro* (i. e. principis) *qui solet ore loqui*. Similique ratione Claudian. de Fl. Theodoro coss. 35 *oracula regis eloquio crevere tuo* (quaestoris) *nec dignius unquam maiestas meminit sese Romana locutam*. Vide Observat. §. XV. Adeptus autem erat Rufius eam dignitatem *primaevus*, paulum, opinor, aetate ultra vigesimum annum egressus. Etenim iam antea proconsul Africae fuerat, *puer* quidem, ut ait poëta. Neque enim eandem ac nos aetatis rationem veteres secuti sunt. Caesar Octavianus cum undeviginti annos natus exercitui praesset, *puer* vocatur ab Cicerone Ep. 12, 25, 5 et saepe, itemque haud minor aetate Curio Ep. 2, 1 extr. P. Scipio undeviginti annorum *puer* appellatur ab Silio 4, 462, quo loco cf. Drakenborch. Martial. 2, 2, 4. Ipse autem Rutilius infra v. 470 de Albino, praefecto urbi, *vitae flore puer, sed gravitate senex*. Quare Burmanni coniectura, ut *pater* scribatur pro eo, quod est *puer*, facile spernetur. Hac autem aetate tamquam insigne quoddam primaevitatis exemplum laudatur apud Gruter. p. 449, 7 Petronius Maximus, idem, qui postea Valentiniani tertii ab ipso interfecti uxorem Eudoxiam invitam in matrimonium duxit et menses aliquot imperavit. Is igitur in consistorio sacro tribunus et notarius nono decimo aetatis anno meruisse, dein per triennium comes sacrarum remunerationum sive largitionum, postea praefectus urbi sex menses fuisse hasque omnes dignitates intra vigesimum quartum aetatis annum complesse dicitur. Cf. Observat. §. XXII p. 68. Omnino autem honorum, quibus

ad summam dignitatem ascendebatur, gradus hoc tempore hi videntur fuisse. Adolescentes enim, ut liberalibus et eloquentiae et iuris prudentiae studiis (cf. ad v. 210) satis eruditi erant, prima togatae militiae stipendia merebant inter advocatos praefecti praetorio, quos centum quinquaginta fuisse scimus ex Iustin. Cod. 2, 7, 11. Ex quibus qui praefecto se probarant, imperatori ad provincias regendas commendabantur. Et primus quidem dignitatis gradus erat rectoris provinciae, sequebantur vicarii, ex quibus comites imperatoris eligebantur, quaestores, comites rerum privatarum vel sacrarum largitionum, praefecti praetorio. Postea qui eximiis honoribus afficiendi esse videbantur, consulatu et patriciatu augebantur. Hunc certe honorum ordinem et res ipsa suadet, quoniam sic alter alterum dignitate excipit, et exposuit diligenter in Flavio Mallio Theodoro, eo, cuius consulatum peculiari carmine celebravit Claudianus, et in Ausonio poëta Albertus Rubenius in dissertatione de vita Fl. Mallii Theodori (iterum edita a Fr. Platner. Lipsiae 1754). Eundemque ordinem servari videmus ab patre Rutilii, cuius honores plene enarrantur. Qui primum consularis Tusciae et Umbriae, deinde comes sacrarum largitionum, tum quaestor, denique praefectus urbi (is autem dignitate praefectum praetorio aequabat) fuisse traditur. Cf. ad v. 575 sqq. Hic quidem Rufius Volusianus, nobilissimo loco, ortus aliquot honores praetermisit, siquidem puer proconsul Africae factus est, qui vicario par est, deinde quaestor, tum praefectus urbi.

173. rexerat Poenos i. e. proconsul Africae fuerat eius, quae proprio nomine Romanis erat Africa, cuius caput erat Carthago. Cf. Observat. §. XXII.

175. sedula promisit summos imitatio fasces. Cuius, inquis, vel hominis vel rei imitatio? Non patris, opinor, quod placuit Burmanno, sed sum-

morum fascium vel eorum, qui summos fasces adepti sunt. Confero locum, ubi similiter *imitari* positum esse videatur, Auson. Caes. 13, 3 de Nerva Traianum adoptante: *imitatur adoptio prolem, quam legisse iuvet, quam genuisse velit. Summos* autem *fasces* intellige summum honorem i. e. consulatum, ut ipse paulo post explicat. Cum enim omnes magistratus maiores fascibus uterentur (cf. ad v. 580), factum est, ut fasces ipsam dignitatem significarent, ut apud Sid. Apollin. Ep. 3, 6 *ita namque fascibus vestris gratamur omnes;* ibid. 2, 13 *per amplissimos fascium titulos.* Consulatum autem, quamvis is esset hoc tempore *honos sine labore,* ut ait Mamertinus in grat. act. Iul. 2 init., summum tamen honorem mansisse demonstravit Gothofredus ad Theod. Cod. 6, 6, 1. Cf. Observat. p. 67. Sed quod poëta ait *consul erit,* quaeres, factus sit necne. Nulla usquam consulis Rufii Volusiani memoria.

178. divisos-tenet. Sic recte cod. noster. Editiones quidem omnes *corpore diviso mens tamen una fuit.* At non fuerat modo una mens, sed erat etiamtunc. Quod quoniam parum aptum esse intelligebat Burmannus, cum in editione Barthiana, non dicam, hominis ipsius an operarum errore, notae ad hunc locum pertinenti falso hoc caput *mens tamen una manet* praefixum videret, illud *una manet* prope adducebatur, ut verum putaret. Imitatur autem h. l. poëta Ovidium Her. 18, 125 *hei mihi! cur animo iuncti secernimur undis? unaque mens, tellus non habet una duos?*

179. ad naves gradior. Tiberis, quattuordecim fere milibus ab Roma in duo brachia divisus insulam illam, de qua ad v. 156 dictum est, efficit. Itaque *frontem* eius dicit *bicornem,* uti notum est cornua fluviis tribui, Virgiliusque Aen. 8, 727 *Rhenum* vocat *bicornem.* Eo autem loco, quo Tiberis per duo flumina decurrere incipit, unde duo fere milia in por-

tum sunt, Rutilius naves (plures enim erant et ex cymbarum genere, vide v. 219) conscendit et in mare devehitur *dextro* quidem *fluvio*. Nam quod ait *dexteriora secat* est *fluit per dexteriora*, ut Virg. Aen. 7, 717 *quosque secans infaustum interluit Allia nomen;* Aen. 8, 63 *et pinguia culta secantem* Tiberim.

181. laevus sqq. Exprobrant fere Namatiano inscitiam antiquitatis, qui Aeneam solum sinistro fluvio usum esse dicat. Immerito quidem, ut mihi videtur. Quod enim constat, non Aeneam solum in hoc ostium intrasse ad eiusque ripas consedisse (Virg. Aen. 7, 30 et Cluver. Ital. antiq. p. 879), sed hoc omnino antiquissimis temporibus solum fuisse frequentatum, quod vel ex Ostia urbe navalium parandorum causa condita apparet, idem Namatianum voluisse opinor. Neque hoc tamen illi, qui poëtam vituperant, utuntur. Cybelen aiunt, deorum matrem, cum anno 204 a. Chr. Romam adduceretur, eo fluvio devenisse, quod narret Ovid. Fast. 4, 329. Quod tamen deae accidit, ut navis eius in arena sederet neque in urbem traheretur nisi summo cum labore, satis illa aetate sinistrum Tiberis flumen non amplius navium patiens fuisse ostendit. Itaque id suo iure Namatianus omisit, in quo nulla esset *gloria*.

183. nocturnis spatium laxaverat horis i. e. noctes crescere coeperant post aequinoctium, ut Claudian. de Mall. Theod. coss. 120 in eadem re *noctis reparant dispendia Chelae*. Eo autem tempore cum sol in signo Librae sive Chelarum positus sit, paulo post *polum Chelarum pallidiorem* dicit i. e. eam partem coeli, qua Chelae atque sol sunt, propter minores hiemis calores minus rubescere, quam aestate.

185. portuque sedemus. Eum, cum antea fuisset nullus, extruxerat Claudius, instauraverat alterumque interiorem addiderat Traianus. Cluver. Ital. antiq. p. 874. Paulo post quod est *oppositis moris*, ut apud

Ovid. Amor. 1, 11, 8 *obstantes sedula pelle moras*, non oportebat Barthium mutare, ut esset *appositis*, quasi congruentibus, quibus delectaretur Rutilius. Nam ut degere Romae iucundum est poëtae, ita morari in abeundo molestum. Nec magis probo Schraderianum *oppositis Notis* ventis.

187. occidua-Plias, ut Claudian. de bello Get. 209 *atque sub occidua iactatis Pleiade nautis.* Significat autem Vergilias occidentes, quo tempore agricola pluvios sperat, nauta imbres ac ventos timet. Itaque moratur poëta, *dum cadit ira maris.* Quod quidem credas expressum ex Ovid. Heroid. 18, 2 *si cadit ira maris.* Quamquam *ira* quidem *maris* satis frequens est. Valer. Flacc. 1, 37 *ira maris vastique-discrimina ponti;* Tibull. 2, 4, 10 *vasti tunderet ira maris;* Ovid. Met. 11, 729 *primas aequoris iras;* ibid. 12, 36 *maris ira recessit*, Claud. Stilich. 1, 290 *pelagi coelique obnititur irae.*

191. quaque duces oculi. Laudo Wernsdorfium, quod enuntiatum relativum esse putavit, non laudo, quod explicat *quousque oculi ducere, ferre, pervenire possunt.* Modo enim dixerat visum se defecisse et Lynceus certe fuisset, qui urbem sedecim fere milibus distantem cernere potuisset. Quare malo explicare *qua oculi duces sunt animo*, quod confirmat locus a Wernsdorfio allatus, Lucilii Aetn. 189 *oculique duces rem credere cogunt.* Antea cum *quaque-oculi-fruuntur* coniungeretur, Heinsius coniiciebat *quippe duces oculi* vel *usque duces oculi*, Livineius ad Propert. 4, 10 et Barthius ad Stat. Theb. 4, 30 *qua*, i. e. regione, *reduces oculi*, quod edide-runt Dammius et Kappius, Burmannus *quam*, i. e. quantopere, *reduces oculi-fruuntur*, Schraderus denique *quaque datum est oculis.*

194. dominas arces, urbis Romae, quae toties *domina urbs* vocatur, ut ab Horat. Carm. 4, 14, 44;

Martial. 1, 4 et 10, 103; Calpurn. 8, 83; 9, 84. Wernsdorfius. Adde Ovid. ex Ponto 4, 5, 7; eundem Amor. 2, 14, 16; Claud. Stilich. 2, 224; Ovid. Fast. 5, 93 *hic, ubi nunc Roma est, orbis caput.*

195. commendat Homerus, qui Odyssea 1, 57 sic: αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποδρώσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης, quod idem imitatus est Ovid. ex Ponto 1, 3, 33 *non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat fumum de patriis posse videre focis.* Quo loco Heinsius utitur, ut h. l. corrigat *dilecto-foco.* Quasi vero Ovidium potius, quam Homerum poëta imitari debuerit.

197. sed coeli sqq. Quod antecedit distichon, pro parenthesi quasi accipio. Non fumus, inquit, locum, quo Roma est, indicat, sed candidior coeli tractus, qui diem ipsum Romae clariorem ac puriorem reddere videtur, quam alibi. Fictumne amore Romae dicamus, quod poëta laudat, ut *videatur* modo purior esse dies, ut ait ipse, non sit re vera? Sed aliquid tamen etiam causae subesse puto, ex loci natura petendum. Roma enim cum in collibus sita sit, Tiberis loco depressiore atque uliginoso in mare influit, ubi aër est crassior ac minus pellucidus. Inde igitur coelum eo loco, quo Roma est, serenius apparet, inde ibi perpetui soles, dum in portu nubes solem tegunt, inde denique ipsa lux atque aër purior, quam eo loco, unde Rutilius ad urbem prospiciebat. Nec enim verum esse puto, quod Barthius et Wernsdorfius fieri dicunt, ut aedificia splendida auroque tecta soles illos efficiant. *Septenis culmina clara iugis*, quamquam fateor obscurius esse dictum, ut excusem eum, qui in Observat. Miscell. p. 366 emendabat *septeni-iugi*, intelligo tamen ea, quae extant aedificia in collibus i. e. templa, arcus, quorum potissimum locos poëta cognoscere cupit. Pro eo autem, quod est *esse dies*, parum apte Heins. coniiciebat *isse dies*, Ovidio, opinor, abusus Met. 2, 330

et si modo credimus, unum isse diem sine sole ferunt.

201. attonitae-aures non semper sunt pavidae, sed nonnunquam erectae vel fascinatae potius dulcedine, ut Claud. de Mall. Theod. cos. 20 *et attonitas sermo qui duceret aures*, et Ovidius Met. 11, 20 *volucres voce canentis* Orphei *attonitas* fuisse ait. Deinde quod est *Circensibus*, ablativo casu accipe. Aliud enim est *resonare alicui rei*, ut Horat. Serm. 1, 4, 76 *suave locus voci resonat conclusus* i. e. vocem reddit, et Cicero Tuscul. 3, 2 *gloria virtuti resonat tamquam imago.* Resonat autem *aliqua re*, quod strepitu impletur, Ovid. Met. 10, 668 *resonant spectacula plausu;* idem resonat *aliquid*, ut Claud. Epithal. Pall. et Celer. 24 *omnisque maritum Palladium resonabat ager. Favoris* autem nomen proprium esse de acclamationibus circensibus copiose docuit Drakenborchius ad Sil. Ital. 16, 315. Ludi circenses quod commemorantur, magna significatio est, quo tempore poëta Roma abierit. Etenim in eo Calendario, quod Constantii aetate compositum extat, (in Graevii thesauro antiquit. Rom. Tom. VIII p. 95 sqq.) a. d. XI et X. Cal. Oct. ludi magni sive Romani in Circo ponuntur, ut, si addantur alia quaedam signa, efficiatur, Namatianum a. d. X Cal. Oct. reliquisse urbem. Vid. Observat. p. 9. Versu insequenti, quod edidimus *ab aethere*, dudum Sitzmannus coniecerat.

205 fides pelagi, ut Virg. Aen. 3, 69 *inde, ubi prima fides pelago;* Stat. Silv. 3, 1, 81 *laesique fides peritura sereni;* Claudian. bell. Gild. 499 *certa fides coeli, sed maior Honorius auctor*, ibidemque 65 *ventique fidem poscebat et anni.* Quare improbo h. l. Schraderum, qui *quietem pelagi* expectatam esse volebat, contra atque apud Statium Silv. 2, 2, 26, cum esset *mira quies pelagi*, Marklandus elegantius esse putabat *mira fides pelagi.* Quod paulo post est *dum*

melior lunae fideret aura novae, hoc poëta vult, se non id modo expectasse, dum fieret ventus secundus, sed dum confirmaretur luna nova. Sic enim docet Plin. nat. hist. 2, 48 *de ratione ventorum menstrua quarta maxime luna decernit* i. e. quartus post novam lunam dies. Quem diem quamquam Rutilius properans in patriam non expectavit, apparet tamen, quid voluerit, ut nec Heinsium probem, qui coniiciebat *se daret*, nec Wernsdorfium, cui placebat *sideret* vel *sisteret.*

207. Palladium. Nihil praeter haec de Rutilii hoc cognato nota sunt, nisi forte eundem esse putabimus, qui anno 458 sub Maioriano praefectus praetorio fuisse dicitur in Novell. Theod. Cod. 4, 4, quod habet aliquam veri similitudinem. Illi vero errare mihi videntur, qui Palladium illum Rutilium Taurum Aemilianum, notissimum rei rusticae scriptorem, huc pertinere opinantur. Sed, quisquis hic est, notabile certe est, quod narratur, eloquentiae eum operam dedisse in Gallia, iuris prudentiae Romae. Celeberrima enim erant eo tempore in Gallia studia liberalia. Symmachus Ep. 9, 83 *Gallicanae facundiae haustus requiro, non quod his septem montibus eloquentia Latiaris excessit, sed quia praecepta rhetoricae pectori meo senex olim, Garumnae alumnus, immulsit. Est mihi cum scholis vestris* (i. e. *Gallicis) per doctorem iusta cognatio. Quicquid in me est, quod scio quam sit exiguum, coelo tuo* (i. e. Gallico) *debeo.* Itaque et schola Augustodunensis sub Constantino Chloro Eumenii oratione pro restaurandis scholis celebratur, et Narbone, Vesontione, Tolosae, Lugduni, Burdigalae frequentissimas fuisse scholas, quarum professores publice constituebantur et alebantur (vide Gothofred. ad Theod. Cod. 3, 12, 11), ex Ausonio constat. Nec tamen in Gallia erant nisi grammatici ac rhetores et graeci et latini, nulli aut philosophi aut Icti. Itaque ad ea

studia Romam commigrari solebat, quod etiamtum *legum domicilium* erat (Sidon. Apoll. 1, 6). Quare Augustin. Confess. 6, 8 *Romam processerat, ut ius disceret;* Constantius in vita S. Germani init. *atque ut in eum perfectio literarum plena confluaret, post auditoria Gallicana intra urbem iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit;* Symmachusque Ep. 5, 74 magistratum iuris prudentiae eiusque discipulum laudat. Cf. et de hac re et de Palladio Observat. §. XIX.

211. ille-habet. Quod in codice et in editione principe scribendi errore est *cune* et *cunnae*, recte emendavit Michaël Virdungus apud Sitzmannum; nam *cura* apud poëtas de amore frequentissimum, credoque Burmanno expressa hic esse, quae Dido dicit de Sichaeo mortuo apud Virgilium Aen. 4, 28 *ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores abstulit, ille habeat secum servetque sepulchro.* Cum iis, quae insequuntur *filius affectu, stirpe propinquus*, compara Cicer. de fin. 5, 1 *L. Cicero frater noster cognatione patruelis, amore germanus. Affectum* autem dicere pro amore apud deterioris demum aetatis scriptores invaluit, ut apud Plinium est Ep. 2, 1 *praeterea quod ille tutor mihi relictus affectum parentis adhibuit;* post ipsi liberi et propinqui, ut pignora, sic *affectus* vocari coepti sunt. Saepius sic Lucanus; Sidon. Ep. 6, 4 *namque unam feminam de affectibus suis inquisivere*, ad quem locum Savaro multos similes attulit.

213. Exuperantius. De huius rebus quoniam satis dictum est in Observat. §. XVI et XIX, breviter hic potissima repetemus. Is enim cum esset dux Aremoricae sive Armoricae (utraque enim forma recta, *Aremoricamque* invenies apud Plin. nat. hist. 4, 17; Sidon. Apollin. Carm. 7, 370; Auson. Ep. 9, 35; eundem Profess. 10, 24), quae pars Galliae hoc tempore a Sequana fere usque ad Pyrenaeos montes pertine-

bat — sed is hos populos, cum semper feroces Romanorumque legibus non satis domitos, tum vero, debilitata imperii vi, etiam magis superbientes, iusto ac severo imperio coërcebat. Praecipuum autem hoc eius erat meritum, quod servos qui et anno 480 et paulo ante profectionem poëtae a Gothis Hispaniam petentibus ipsamque Burdigalam diripientibus excitati seditiones moverant herisque expulsis peculiarem quandam rem publicam instituerant, rursus subiecit. Hoc enim est, quod Rutilius ait, eum legibus restitutis, libertateque reducta illos populos non sisse *servos esse famulis suis* i. e. servire servis suis. *Famuli* enim vocantur, qui serviunt, ut Cic. de Offic. 2, 7 *iis, qui vi oppressos imperio coërcent, sit sane adhibenda crudelitas, ut heris in famulos;* Claudian. IV Cons. Hon. 614 *deductum Vindice morem lex celebrat, famulasque iugo laxatus herili ducitur et grato remeat securior ictu.* Quos interpretes dum Gothos intelligunt, qui famulari debeant Romanis, et nimis obscure loqui iubent poëtam, et historia ipsa falluntur, siquidem Gothi iam anno 416 in Hispanias transierant nec tum Exuperantii imperio domari poterant. Quod quam non rectum esset cum intelligeretur, Heinsio causam fuisse opinor, ut ad Ovid. Amor. 1, 6 extr. emendaret *servas famulis esse* i. e. leges servire. Illud vero h. l. paulo inusitatius, quod *postliminium* pacis dixit. Qua voce meliores scriptores de iure tantum postliminii, quod dicitur, posteriores si qui alia de re posuerunt, ablativo fere casu, sententia adverbiali, utuntur. Nec tamen ipsum dicendi genus damnaverim; est enim elegans quaedam metaphora, ab ipso illo iure postliminii sumpta, pacem dici, profugam quasi antea, redisse iam et in pristinum ius restitutam esse.

217. aurorae dubio i. e. diluculi tempore. Concinnius Heinsius distinxit *aurorae dubio, quo tempore*, cum antea *dubio quo tempore* coniungeretur.

tur. De eodem autem aurorae tempore Valer. Flacc. 2, 72 *iamque sub Eoae dubios Atlantidis ignes albet ager; crepusculumque* vocat Ovid. Met. 4, 401 *cum luce-dubiae confinia noctis* et 11, 596 *dubiae crepuscula noctis.* Color autem non inest in rebus, nisi cum sol lucet; quare Virgil. Aen. 6, 272 *rebus nox abstulit atra colorem.* Redeunt colores, ubi illucescit, Sil. Ital. 10, 541 *atque sui terris rediere colores.* Quae in illis *terrae* et *res*, hic *arva* dicuntur, quae ab eo, qui praeternavigat, recte dicuntur *agnosci*, ut non opus sit eo, quod Wernsdorfius volebat vel *ora* i. e. facies ac formas rerum, vel *atra* i. e. quae antea atra fuerant.

219. progredimur-humus. Minore navigiorum genere poëta etiam in mari usus est; nam *cymbarum* proprie in fluviis usum esse docet Burmannus. Nec tamen audio, cum *lembis* corrigi vult. Nam coniunctivus *pateret* significat, cur minoribus navigiis uti maluerit. Totum enim litus ab Ostia usque ad Centumcellas importuosum erat, Pliniusque Ep. 6, 31 extr. portum Centumcellensem ideo maxime salutarem esse ait, quod per longissimum spatium eo solo receptaculo litus uteretur. Parvarum autem cymbarum *perfugio crebra patebat humus. Perfugio* quaeres, dativus sit an ablativus. Illud Dammio videtur. At perfugium locus est, in quem confugias, non fuga ipsa. Itaque ablativo accipio, sic quidem: humus patet, quia crebra in ea sunt cymbarum perfugia ac receptacula.

222. mobilitate fugae i. e. celeritate fugae, si celeriter fugere licet. Sic apud Senec. Hippolyt. 446 *mobilis cursus*, apud Claud. Apon. 60 *mobile torquet iter.* Ea autem re, si iis utare navigiis, quibus celeriter effugere tempestates possis, tutior est auctumnus, quam si *carbasis* i. e. navibus *onerariis* utare, quae aestati conveniunt. Non est *gratior* aut *mitior*, quod Burmannus corrigebat.

223. Alsia-tellus. Alsium, oppidum maritimum veteris Tusciae, duodeviginti milibus passuum a portu Augusto distans, ab Aleso Argivo conditum esse tradunt Virgil. Aen. 7, 724, Sil. Ital. 8, 474. Romani eo coloniam maritimam anno 247 a. Chr. L. Caecilio Metello II M. Fabio Buteone coss. deduxerunt. Strabo sua aetate oppidulum fuisse ait, hoc vero tempore divitis cuiusdam Romani villa erat, quod mansit in hanc diem. Nam nunc Farnesianae gentis praedium est, cui vulgus nomen *Palo* dat. Poëtarum autem more Rutilius *Alsiam* tellurem nominat, quae proprie *Alsiensis* dicenda erat. Sic certe *Alsiense* est apud Ciceron. pro Mil. 20 et Ep. 8, 6; et *colonia Alsiensis* in inscriptione apud Cluver. Ital. antiq. p. 497. Verum poëtarum in hoc adiectivorum genere liberior est licentia, quibus ipsis substantivis pro adiectivis uti licet, ut, quod ad Amiternum, oppidum Sabinum, pertinet, a scriptoribus vocatur *Amiterninum*, Virgilius autem Aen. 7, 710 *Amiternam cohortem* dixit, eumque imitati Sil. Ital. 8, 414 et Martial. Epigr. 13, 20 *Amiternum agrum*. *Praelegendi* autem verbo bis eadem, qua hic, significatione Tacitus usus est Annal. 2, 79 et 6, 1; alii boni quidem scriptores haud scio an non habeant.

Pyrgi, item colonia Romana maritima, deducta incerto anno ante bellum Punicum secundum, (vide Madvigii quaestionem de coloniarum pop. Rom. iure et conditione extr.) antiquitus Ilithyiae templo insignis, quod anno 348 a. Chr. Dionysius Syracusanus diripuit (Diodor. 15, 14). Hodie oppidulum vocatur Santa Severa. Vide Cluver. Ital. antiq. p. 425.

225. Caeretanos-fines. Caere, hodie Cervetri, priscis temporibus, quod originis graecae erat, *Agylla* dictum, quo nomine Delphis amplissimos thesauros consecratos habebat, potens aliquando illa aetate, qua Etruriae liberae imperium florebat, postea spectatae in populum Romanum amicitiae. Strabo ipsius quidem

urbis vestigia tantum vidit, sed celebres etiamtunc erant *aquae Caeretanae*, quae eaedem Apollinares vocabantur. Item notus fluviolus, quem Plin. nat. hist. 3, 8 *Caeretanum*, Virg. Aen. 8, 597 *Caeritis amnem* appellat. Haec igitur, quae etiam ultra Pyrgos pertinebant, videbat Namatianus; ait enim *fines* Caeretanos. Urbs ipsa inter Alsium et Pyrgos sita quattuor passuum milia a mari distabat nec, si quae supererant parietinae, propter lucum interiacentem ab iis, qui praeternavigabant, cerni poterat.

227. stringimus etc. Sententia quae esse debeat, apparet; verba ipsa mutila inveniuntur et in editione principe et in codice nostro. Itaque alii alia ratione expleverunt, Castalio et Burmannus *stringimus absumptum fluctuque et tempore*, Barthius et Dammius *exesum fluctuque et tempore*, Wernsdorfius, Barthium in Adversariis 25, 15 secutus, *hinc exesum et fluctu et tempore*, quod, quoniam proxime ad ea accedit, quae tradita sunt, etiam in nostram editionem recepimus. Nec tamen non placet, quod Burmannus emendabat *absorptum*. Est enim re vera absorptum illud oppidulum mari, quippe cuius rudera etiam hodie, in ipsis undis iacentia, nisi tranquillo mari conspici nequeant.

Castrum Inui esse poëta putat idque nomen quam ob rem ei inditum sit, explicare conatur. Sed errasse eum docuit Cluverius Ital. antiq. p. 488. In eodem oppido erravit Servius ad Virgil. Aen. 6, 775, qui unum in Italia oppidum esse narrat, quod Castrum novum dicatur, idque a Virgilio illo loco Castrum Inui appellari. Nimirum res ita se habet. Tria omnino in Italia erant oppida, quibus Castris nomen esset, unum *Inui*, in Volscorum litore inter Lavinium et Antium, cuius praeter Virgilium meminerunt Sil. Ital. 8, 361, Ovid. Met. 15, 727; alterum *Novum* in agro Piceno, de quo Plin. nat. hist. 3, 13 et Strabo

5, 4 init. dicunt, colonia Romana, cui hodie nomen est Flaviano; tertium denique hoc *Novum*, de quo Rutilius dicit, in litore Etrusco, colonia Romana maritima (Liv. 36, 3), Augusti iam tempore vel perexiguum vel nullum (Strabo enim ignorat), a quo loco hodie non procul abest oppidulum S. Marinella. Excusat autem Rutilii errorem Cluverius. Cum enim Silvani cultus in illa regione, nemoribus obsita, frequens esset, poëtam, qui Inuum eundem esse deum nosset, facile potuisse induci, ut urbi falsum nomen daret.

229. praesidet exigui formatus imagine saxi. Dei alicuius agrestis signum saxeum poëta praetervehens conspexit, quod praesidebat illi portae, de qua modo dixit, i. e. ante eam collocatum erat, ut eius dei curae urbem commissam appareret. Hoc enim est *praesidere*, non de diis modo, ut Virgil. Aen. 7, 800 *quis Iupiter Anxurus arvis praesidet*, Ovid. Fast. 1, 125 Ianus *praesideo foribus coeli cum mitibus Horis*, sed universe de eo, qui tuetur aliquid, ut Livius 10, 17 pr. *nullus iam exercitus Samnio praesidet;* 22, 11 extr. *alii, ut urbi praesiderent, relicti;* 23, 32 pr. *ad eum exercitum, qui Nolae praesideret;* 23, 48 extr. *praesides provinciarum exercitus.* Eum autem deum dicit *exigui formatum imagine saxi*, cum sufficeret *saxo formatum* dicere, ut Claud. in Prob. et Olybr. coss. 98 *electro Tiberis, pueri formantur in auro*, nec absimili ratione Symmach. Ep. 10, 32 *hinc factum est, ut optimi quique civium manu et arte formati in longam memoriam mitterentur.*

230. qui pastorali cornua fronte gerit i. e. in cuius fronte pastorali cornua sunt. Inuum deum designat, quem deinde nominat. Cornua enim caprina et Inui et omnium deorum pastoralium insignia quasi esse testatur Macrobius Saturn. 1, 22 *ergo Inui cornua barbaeque prolixa demissio naturam lucis osten-*

dunt, Serviusque ad Virgil. Eclog. 2, 31 *habet enim* (Pan) *cornua in radiorum solis et cornuum lunae similitudinem*; ac de Pane Sil. Ital. 13, 326 *ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte*, tum *pastorale deo baculum*. In editione principe scribendi errore erat *nomina fronte gerit*, quod solus Wernsdorfius explicat, statuae pastoralem frontem i. e. speciem fuisse eique nomen quoddam fuisse inscriptum, ceteri interpretes alii alia coniecerunt. Crusius quidem Probab. Critic. p. 59 emendat *qui pastorali gramina*, i. e. coronam gramineam, *fronte gerit*. At Pana, qui non differt ab Inuo, tempora pinu, quae ei sacra erat, cincta habere ait Sil. Ital. 13, 332. Kappius autem, Marklandi in praef. Stat. Silv. et Almeloveenii coniectura, qua codicis lectio occupatur, paulum mutata *pastorali cornua fronde tegit*, Dammius cum Graevio *pastorali numina fronte tegit* scripserunt, qui iidem sine iusta causa (nam, quae versu 233 sunt, Inui nomen explicant) hoc distichon ei, quod insequitur, post posuerunt. Burmannus denique cum cetera eadem, qua Wernsdorfius, explicatione uteretur, quo accuratius nomen statuae inscriptum significaretur, malebat legi *qui Pastoralis nomina fronte gerit*. Quasi vero Rutilius, quamvis is stringeret rudera Castri, nomen vetustate exesum atque in exigua statua positum (utrumque enim ait) legere potuerit.

233. seu Pan Tyrrhenis etc. Inuus deus qui sit, explicat. Aut enim est graecus Pan, receptus et patrio nomine appellatus ab Italis, aut deus quidam indigena, qui ab ineundo Inuus dictus est. Atque illud quidem, quod est *seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis*, apertum est; Pana enim Maenala habitare constat. Nec movemur codice nostro, qui pro eo, quod est *mutavit*, habet *immutant*, deleta tamen syllaba *im*, quod scribendi errore ortum esse vel pluralis coarguit. Sed aptius etiam est perfectum *mutavit*

praesenti, quoniam mutasse oportet sedes eum, qui praesideat Castro. Ea autem, quae insequuntur *sive sinus patrios incola Faunus init,* conturbarunt Burmannum. Qui, cum Servius ad Virgil. Aen. 6, 776 Inuum narret dici ab ineundo passim cum omnibus animalibus, unde et Incubonem dici, h. l. corrigebat aut *sive greges proprios Incubo Faunus init* aut *seu simus pecudes Incubo Faunus init*, itaque a Rutilio, qui praesertim paulo post diceret *mortalia,* i. e. animalium vel hominum, *semina*, scriptum esse sibi persuaserat, nisi forte *sinus* essent loca sinuosa et abdita, recessus silvarum. Atqui sic dici *sinus* docuit Wernsdorfius exemplo Ovidii Met. 5, 608 *usque sub Orchomenon-Maenaliosque sinus.* Adde Liv, 23, 1, 6 *et pleraeque cavae sunt viae sinusque occulti;* Auson. Mosella 155 *et rupes et aprica iugi flexusque sinusque vitibus assurgunt;* Boetticher. in Lexico Taciteo s. v. Quod autem *iniri* dicuntur agri a Fauno, recte idem Wernsdorfius confert Horatium Carm. 3, 18, 3 *Faune-per meos fines et aprica rura lenis incedas abeasque parvis aequus alumnis.* At quae illa *mortalia semina?* Non certe hominum, ut sunt apud Ovidium Met. 3, 105 et 15, 760, sed ea, quae moriuntur, quae intereunt. Quotannis enim semina renovantur. Paulo autem post Burmannus pro eo, quod est *dum renovat*, emendari posse putabat *dumque novat,* ut et agros et animalia inire dicatur. Sed parum apte coëunt *init* et *fingitur esse,* pro quo debuerat certe esse *est,* nec sententia satis recta. Quamquam, opinor, vidit ille hoc, si, ut vulgo fit, illud, quod est, *seu Pan-init* ad ea, quae antecedunt, referatur, sententiam non constare. Refer igitur ad ea, quae insequuntur, hac sententia: Inuus, sive Pan est sive Inuus, hoc constat, eum proniorem fingi in Venerem ac propterea dictum esse Inuum.

237. Centumcellas. Hodie est Civita Vecchia, urbs propter portum, quem imperator Traianus extruxit

et Traianum appellavit, celebratissima, in qua contra videtur accidisse atque in Alsio et Pyrgis, quas ex oppidulis villas factas esse Rutilius paulo ante dixerat. Traiani enim tempore praeter villam vel nulla vel exigua admodum urbs eo loco videtur fuisse villamque commemorat etiam Ael. Lamprid. Commodo 1. Sensim vero ita crevit, ut Iustiniani temporibus et frequentissima et amplissima fuisse dicatur a Procopio bell. Goth. 2, 7. Opportunissimus enim erat portus, qui per longissimum spatium unus esset in Etrusco litore. Cf. supra ad v. 219. Praeter Rutilium autem Plin. Ep. 6, 31, qui eo ipso tempore, quo portus extruebatur, cum Traiano in villa Centumcellensi commorabatur, portum hunc describit. Cuius quidem verba, quia poëta inde nonnihil sumpsisse videtur, quae huc pertinent, omnia apponemus. *Imminet* (villa) *litori, cuius in sinu quam maximus portus velut amphitheatrum. Huius sinistrum brachium firmissimo opere munitum est, dextrum elaboratur. In ore portus insula assurgit, quae illatum vento mare obiacens frangat tutumque ab utroque latere decursum navibus praestet. Assurgit autem arte visenda. Ingentia saxa latissima navis provehit; contra haec alia super alia deiecta ipso pondere manent ac sensim, quodam velut aggere, construuntur. Eminet iam et apparet saxeum dorsum: impactosque fluctus in immensum elidit et tollit. Vastus illic fragor; canumque circa mare. Saxis deinde pilae adiicientur, quae procedenti tempore insulam enatam imitentur.* Itaque *moles* sunt opera a dextra et a sinistra in mare excurrentia, quae tamquam arenam includunt maximum portum, quem hic Plinium imitatus *aequoreum amphitheatrum* vocat. Versu autem v. 238, quo melius haec cum iis, quae antecedunt, cohaererent, Heinsius coniiciebat *tranquilla hic* vel *tran-*

quilla puppes hic statione; Kappius emendabat *tranquillae puppes*.

240. insula facta, i. e. non nativa, sed arte ac *manu facta*, ut est apud Caesarem bell. Gall. 3, 23; Cic. de offic. 2, 4 *portus manu factos* et Ovid. Met. 11, 728 *adiacet undis facta manu moles*. Cf. infra v. 529. *Geminarum* autem *turrium*, quas deinde commemorat, etiamnunc insignes superesse reliquias testatur Cluverius Ital. antiq. p. 482. Quod denique est pandit utrumque latus, intellige *aperit portum ex utraque parte*, et dextra et sinistra. Cf. supra ad v. 155.

243. sqq. Portum interiorem Centumcellensem describit. Nec enim *satis* fuerat *navalia* i. e. locos ad recipiendas ac reficiendas naves aptos *ponere*, extruere, sed, ne naves ulla omnino aura, quamvis eae iam in exteriore portu satis essent tutae, ventilarentur, *medias sinus invitatus in aedes* fuerat. Quas aedes, credo Cluverio Ital. antiq. p. 482 appellari eas, quas Graeci simili voce νεωσοίκους vocant, Latini suo vocabulo *cellas*, unde ipsum urbis nomen deductum est, creditque etiam Antigonus Frangipanius in descriptione Centumcellarum urbis (Romae 1761), qui copiose de portu Traiani disputat et, quae in eo usque ad suam aetatem mutata sint, enarrat. Idem tabulam addit, quae cum accurata Rutilii descriptione plane convenit. Simili ratione Strabo 5, 2, 6 Populonii λιμένιον καὶ νεωσοίκους esse ait, atque in Carthaginiensi portu aliquando supra ducentas tales cellas fuisse narrat Appianus de reb. Punic. 8, 96. Quod a ceteris interpretibus fieri video, ut *aedes* ipsam urbem intelligant, quae portum aedificiis quasi concludat, minus probo. Pro eo autem, quod est *invitatus*, Heinsius corrigebat *insinuatus*, ut sinum insinuari faciat, Burmannus vero, quamquam mutare nec audet nec scit, si tamen, ut *crivandi*, ita *irrivandi* extaret verbum, hoc se prae-

laturum esse profitetur. Nec vero huic loco dissimilia, quae sunt apud Ovid. Amor 2, 16, 35 *et vocet in rivos parentem rusticus amnem*, et ap. Manil. 5, 684 *appellatque suo deductum ex aequore fluctum*, quos locos Wernsdorfius laudavit. Illa autem, quae sunt ne vaga-rates, non ad navalia in portu posita, ut Burmannus et Wernsdorfius, sed ad sinum in aedes invitatum refero, ad sequentia, non ad antecedentia; neque enim unquam in portu aquae fixae esse et instabilem aërem nescire possunt.

247. qualis in Euboicis-sinu. Cellas portus Traiani comparat cum piscinis Baianis sive Cumanis. Inter Baias enim et inter Cumas siti sunt Lucrinus et Avernus lacus, *regio opere*, ut ait Horatius, auspiciis Augusti ab Agrippa cum mari coniuncti, ex quibus cum hic hodie integer extet, ille anno 1538 ex vicino monte subito inter crebros terrae motus enato ita fere totus cineribus oppletus est, ut exigua palus raro arundineto obsita supersit. Eorum autem lacuum litora totaque maris adiacentis unda fontibus calidis tepebant, qui usque in ipsum mare pertinebant. Itaque Romani, quibus in deliciis esset in aqua marina eaque tepida natare, non lavari modo (cf. Heyn. ad Tibull. 3, 5, 30), molibus operibusque partes quasdam ex mari excluserant et stagna piscinasque fecerant, in quibus tuto natandi voluptate perfrui possent. Describit eius loci amoenitatem copiose Cassiodorus Variar. 9, 16, Symmachusque Ep. 8, 23 *in Lucrino serii sumus. Nullus in navibus canor, nulla in conviviis helluatio nec frequentatio balneorum, nec ulli iuvenum procaces natatus;* Propert. 4, 17 init. *clausus ab umbroso qua ludit pontus Averno, fumida Baiarum stagna tepentis aquae;* Martial. 1, 63 de Laevina *dum modo Lucrino, modo se permittit Averno, et dum Baianis saepe fovetur aquis*, id. 4, 57 *dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini et quae*

pumiceis fontibus antra calent. Dicit autem *sinum*, ut accurate describens Strabo 5, 4 p. 190 (Siebenk.) ὁ τε Λουκρῖνος κόλπος καὶ ἐντὸς τούτου ὁ Ἄορνος et Symmach. 7, 16 *festivitas ista Baiana est. Nimbis talibus te* sinus *Lucrinus infecit.* Alternum sinum intelligo sinus inter se oppositos, contra se positos. Eadem notione *alternus* est apud Stat. Silv. 1, 3, 64 *quid referam alternas gemino super aggere mensas;* ibid. 25 *nec te mitissimus amnis dividit: alternas* (i. e. contra se positas) *servant praetoria ripas;* id. Theb. 2, 182 *quae Doricus alligat Isthmos et alterno quos margine submovet infra;* Claudian. Prolog. in Flav. Mall. Theod. Cons. 16 *contulit alternas Pythius axis aves.* Natatus autem vocantur Euboici, quia fiunt Cumis vel prope Cumas. Ea enim urbs, quoniam a Chalcidensibus Euboicis condita esse ferebatur (Plin. nat. hist. 3, 9 et Serv. ad Virg. Aen. 6, 2), et ipsa saepe Euboica vocatur et quicquid inde repetitur. Captiva unda est molibus et aggeribus inclusa, lenta brachia pertinent ad tranquillitatem piscinae ac facilitatem natandi sumptaque sunt ab Tibull. 3, 5, 30 *at vobis Tuscae celebrantur numina lymphae et facilis lenta pellitur undâ manu,* quo loco Heynius *lenta* non recte videtur interpretari *luctantia;* diverse enim dixit Ovid. Her. 19, 48 *lentaque dimotis brachia iactat aquis.* Quod autem edidimus *alterno-sinu* ex auctoritate codicis nostri, antea fuerat *alterno-sono,* quae soni commemoratio cum nihil faciat ad summam sententiam, interpretes videtur induxisse. Qui cum *natatus,* ut loci aliqua esset significatio, contra latinitatem aquas, non ipsum natare intelligerent, Schraderus *penatibus* vel *meatibus* malebat. Quod quia repudiabant, pro eo quod erat *sono,* Heinsius ad Ovid. Met. 4, 253 *solo,* Crusius Prob. Crit. p. 59 *salo* coniiciebant. Barthio vero et Dammio, qui ea, quae insequuntur, minus cum

his coniuncta esse viderent, nonnulli versus post hoc distichon intercidisse videbantur. Sed solet ita Rutilius nulla uti narrationis perpetuitate. Cf. v. 277, v. 337, v. 349.

249. Tauri dictas de nomine Thermas. Describit aquas Taurianas (sic enim nominat Sanct. Gregor. Dialog. 4, 55, qui eas in dioecesi Centumcellensi commemorat) tria milia a Centumcellis sitas, quas Cluver. Ital. antiq. p. 486 eo in oppidulo esse ait, cuius incolas Plin. nat. hist. 3, 5, 8 vocet *Aquenses, cognomine Taurinos*. Nec enim fidem habeo Francisco Mariano, homini parum rectae doctrinae, in Etruria Metropoli c. 28 p. 183, qui Aquenses Taurinos eo loco collocat, qui hodie est Acquapendente. Praeter Rutilii autem hunc et S. Gregorii locum, de quo dixi, nullam invenio harum aquarum apud veteres memoriam. Hodie quidem aquae ipsae non interierunt, aedificiorum, quae eo loco fuerunt, pauca supersunt rudera. Vide Frangipanium in libro, quem supra laudavi, p. 223. Versu insequenti notabilis est abl. milibus-tribus, pro quo debuerat esse *milia tria*. Similem locum nescio; nec enim ii conferri possunt, ubi distandi verba additum habent ablat. De tempore quidem constat nonnunquam in deteriore latinitate ad spatium temporis, per quod aliquid fiat, significandum pro accusat., qui proprie esse debet, poni ablat., ut Suet. Calig. 59 *vixit annis undetriginta, imperavit triennio et decem mensibus diebusque octo*, atque ita etiam Liv. 5, 23, 2 *quia tot annis varie ibi bellatum erat*. Cf. Drakenborch. ad Epitom. Liv. 5. Ciceronis quidem locum, qui hoc in genere afferri solet, de Off. 3, 2 *scriptum est a Posidonio, triginta annis vixisse Panaetium, posteaquam libros de officiis edidisset*, alienum esse iudico, propterea quod sequitur *posteaquam*.

252. lymphave. Dixerat antea aquas non esse *gustu amaro* i. e. *non acida salsave mixtura*, ut

Plin. nat. hist. 31, 1 ait de nonnullis aquis Baianis; nam amaritudinem hic ad sales marinos pertinere docuit Burmannus ex Ovid. Met. 15, 286 *qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris.* Pergit ne sulphure quidem aquas vitiari. Quod quoniam diversum ab illo, nec illinc consequitur, verum esse existimo, quod Barthius et Dammius malebant *lymphave*, ut infra v. 520 est *nec censu inferior coniugiove minor.*

254. qua melius parte. Rectius erat *utra parte* i. e. lavando an bibendo. Sed est pro adverbio quasi, ut *quo modo*, *qua ratione*, *quo pacto*. Proximo versu antecedenti pro eo, quod est *lavantem*, vitiose in codice et in editione principe invenitur *labantem*, quod Simlerus correxit. Insequenti autem versu quod item vitiose apud Sitzmannum et Barthium est *fragrantia*, immerito placuit Wernsdorfio. Nec enim, quod *purum odorem* habet, fragrat.

257. pugnam praeludere. Burmannus, ne accusativus adderetur *praeludendi* verbo, praepositionem *ad* inserebat: *ut solet ad pugnam excussis* cet. Facilius erat scribere *pugnae*. Cum enim optimi auctores accusativum addant, ut Virg. Aen. 12, 106 *sparsa ad pugnam praeludit arena*, deteriore aetate dativus non rarus est. Senec. Ep. 102 *illi meliori vitae longiorique praeluditur;* Stat. Silv. 1 prooem. *nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit;* Claud. VI cons. Hon. 68 *et magnis docuit praeludere fatis.* Haec demum latinitas accusativo utitur, ut Claud. Stilich. 2, 335 *hic ego promissam sobolem speratoque mundo pignora praelusi;* Avien. descript. orb. 1364 *discursuque sacro praeludit proelia Liber.*

259. arma iuvenci. Sic rectissime codex noster, cum fuerit antea *ora iuvenci.* Arma enim iuvenci, i. e. cornua, imprimis deo opus erant, ut aquas illas inveniret, nec obstat, quod Castalioni Virgilium

videtur imitatus esse Aen. 1, 658 *ut faciem mutatus et ora Cupido*, et rursus 5, 477 *dixit et adversi contra stetit ora iuvenci.* Nam etiam imitantem licet mutare ea, quae minus apta videantur. Cf. supra ad v. 5 et 32.

261. qualis-onus. Locus impeditior paulo propter pentametrum, in quo quod est *per freta*, Kappius et vetustiores aliquot cum *sollicitandi*, Burmannus et Wernsdorfius rectius cum *rapiendi* verbo coniunxerunt. Nec enim certe *sollicitare per freta* pro eo, quod debuerat esse *portare per freta*, latinum est. Nec tamen magis probo, quod *sollicitare* hoc quidem loco intelligunt pellicere ad coitum. Quasi vero Iupiter Europam compresserit, ut raperet, non rapuerit, ut comprimeret. Vulgari potius sua significatione dixit *sollicitare* i. e. pellicere, atque ut adderet, ad quam rem pellexerit, ab affectu quasi virginem vocavit *virgineum onus*. Quod facit paulo ille quidem inusitatius, nec tamen non recte. *Furtum* autem *Agenóreum* Europam dici constat, Agenoris, Phoenicum regis, filiam, ex qua quoniam Iupiter gaudia sperabat, ipsam solito suo more (vide ad v. 19) poëta dicit *gaudia*, frequenti in re amatoria verbo, ut Nemes. Eclog. 2, 7 *tum primum dulci carpebant gaudia furto.*

263. ardua non solos-habet. Miracula sunt *ardua*, quae credere est arduum sive difficile. Similiter Claud. in Eutrop. 2,316 *furtim tamen ardua mittit cum donis promissa novis*, id. de Stilich. 1, 295 *responsa quod ardua semper Eois dederis, quae mox effecta probasti.* Quod insequitur, *fontem Heliconis*, sive Hippocrenen, natum esse a *pecude*, non insolitum est, equos vocari pecudes, ut est apud Columellam 6, 27 extr. de equis *id praecipue genus pecudis, amore natorum noxam trahit*, apud Curtium 6, 17 *Bucephalum vocabant, quem Alexander non eodem, quo ceteras pecudes, animo aestimabat.* Wernsdorfius

autem, qui *pecoris* vocem de equis usurpari docet, diversa confundit.

265. elicitas-equi. Hippocrene est Musarum fons, Taurianae aquae sunt Nympharum. Primum igitur bovem vel pecudem omnino auctorem fontis esse posse docet exemplo Hippocrenes. Quod si accidere potuit Musarum fonti, quis dubitabit, quin potuerit etiam vulgari Nympharum fonti? Itaque *Nymphas* necessarium esse arbitror, non probo *lymphas*, quod Castalionem secuti omnes editores recentiores praetulerunt, cum in universum nymphas dici aquam ostendisset Heinsius ad Ovid. Her. 5, 31. Nec opus est eo, quod Dammius et Wernsdorfius ediderunt *Musarum ut latices*, qua re versus ipsi quamquam coniunguntur, aptius tamen videtur illud ἀσύνδετον. Graevii vero ratio tota abiicienda, qui cum duo haec disticha v. 263—266 carmen illud, quod v. 268 intrantem capere, discedentem morari dicitur, esse putaret, ea post v. 270 ponenda esse censuit. Idem in extremis his mavult *ungula fudit equi*, quod rectius aut de terra aquas emittente, ut est apud Claud. Apon. 86 *telluri medicas fundere iussit aquas*, aut de ipso fonte, ut est apud Avien. in Arati Phaen. p. 94 Grot. *cornuque excita repente lympha Camenalem fudit procul Hippocrenen*, dici ait Werndorfius. Fodiendi autem verbum eadem de re est apud Ovid. Fast. 3, 456 *cum levis Aonias ungula fodit aquas*.

267. haec quoque Pieriis-ager. Traiecta est particula *quoque*, quae proprie pertinebat ad *nobilitatum agrum*. Nec enim solum origo similis facit, ut aquae Taurianae conferri possint cum Hippocrene, sed etiam carmen Messalae. Similes traiectiones eiusdem particulae sunt apud Ovid. Met. 14, 158 *hic quoque substiterat post taedia longa laborum Neritius Macareus*; Liv. 22, 23 init. *haec in Hispania quoque gesta*; eundem 22, 14, 15 *circumfundebatur tribu-*

norum equitumque Romanorum multitudo et ad aures quoque militum dicta ferocia volvebantur. Spiracula autem sunt *scrobes quaedam terrae, unde spiritus vel salubres vel letales emittuntur*, ut explicat Plin. nat. hist. 2, 105. Itaque Valer. Flacc. 3, 553 *procul ad nitidi spiracula fontis ducit;* Symmach. Ep. 4, 33 *nec de spiraculis Delphicis ullum carmen audivi;* idemque 1, 5 laudat *spiracula regionis Praenestinae, quae aestivam flagrantiam temperant.* Sequitur comparandi verbum, quod sumptum est a gladiatoribus, quorum cum par ad pugnam committitur, componi vel comparari dicitur, ut Sueton. Calig. 35 *hunc Threci et mox hoplomacho comparavit*, translataque significatione Cicero p. Quint. init. *Ita se res habet, ut ego cum disertissimo patrono comparer;* Liv. 24, 8 *repente lectus adversus veterem et perpetuum imperatorem comparabitur;* id. 30, 28 *erexerant omnium animos Scipio et Hannibal, velut ad supremum certamen comparati duces.* Itaque *comparat* h. l. est facit, ut contendere possit, simile reddit. Schraderus denique corrigi vult *Pieriis-undis*, temere illud quidem. Nam de eodem fonte Ovid. Met. 3, 14 *vix bene Castalio Cadmus descenderat antro;* Lucan. 5, 84 *sacris se condidit antris incubuitque adyto vates ibi factus Apollo;* Claudian. praef. III Cons. Hon. 15 *me quoque Pieriis tentatum saepius antris.*

270. postibus-sacris. Aediculam Nymphis sacram intellige ad antrum fuisse positam, qualem prope Clitumnum fontem ait esse Plin. Ep. 8, 8 *sparsa sunt circa sacella complura totidemque dei: sua cuique veneratio: suum nomen;* atque Frontin. de aquaeduct. c. 10 *aediculam fonti* aquae Virginis *appositam* aquae *originem ostendere* dicit. Atque omnino sacella ad fontium capita a veteribus poni consuevisse constat. Imitatus est hunc Rutilii locum Sidon. Apol-

lin. Ep. 2, 2, ubi villae suae balneas describit: *pauci versiculi lectorem adventicium remorabuntur, minime improbo temperamento, quia eos nec relegisse desiderio est nec perlegisse fastidio.* Thermarum autem, quales hae Taurianae erant, elegantissima est descriptio apud Claudian. Apono Idyll. 6. Burmannus denique quod maluit *rapit* pro eo, quod est *capit*, si aptum, certe non opus est.

271. hic est. Messala hic non ignotus aliunde. Diu enim eum aut saepe praefectum praetorio Italiae inde ab anno 396 fuisse et multae leges Theodos. Codicis ad eum datae et Symmach. Ep. 7, 81—92 ostendunt. Idem non alienus erat a literis, siquidem eum inter suae vel proximae antecedentis aetatis scriptores laudat Sidon. Apollin. Carm. 9, 302: *Paulinum Ampeliumque Symmachumque, Messalam ingenii satis profundi.* Atque a Wernsdorfio quidem fieri video, ut poëta fuisse dicatur, eique opinioni ex hoc ipso loco praesidium quoddam quaeratur. Ac certe nec Sidonius, qui cum Symmacho componat, poëtam significat, nec Symmachus ipse cum saepe eius facundiam praedicet, quicquam de poëtica laude, quam meruerit, habet, et Namatianus denique *mentem* eius i. e., opinor, prudentiam civilem, et *linguam* sive facundiam laudat. Nec in paucis versiculis, quos animi causa scripsit, satis argumenti, ut poëta fuisse putetur. *Ducebat* autem *seriem* generis sui a P. Valerio Publicola, qui primus Romanorum consul fuit, luculento exemplo, quam ne his quidem temporibus nobilitatis studium evanuerit. Cf. supra ad v. 169. Alium autem quendam Valerium Proculum Symmach. Ep. 1, 2 *haud unquam indignum magnorum Publicolarum* dicit. Itaque non aptum, quod Kappius malebat *duxit*, ut a poëta tantum propter nobilitatem praedicetur, non ipse gloriatus esse videatur. Sed praefectum praetorii fuisse sic significat praefecti nutu praetoria rexit. Praetoria enim, ut

ex

ex multis locis Theodosiani Codicis et ex Notitia dignit. utriusque imperii apparet, et aedes sunt, in quibus iudicia exercentur, et officia i. e. scribae ceteraque turba librariorum, quae ad iudicium pertinet. Cf. Gothofred. ad Theod. Cod. 1, 10, 3 et 15, 1, 8. Ne autem Messala iudex tantum, sed princeps iudicum, quotquot erant in praefectura Italiae, fuisse videatur, eum ait *praefecti nutu* praetoria *rexisse*, ut Symmach. Ep. 1, 1 *aurorae in populis regum praetoria rexi;* Sidon. Apoll. Ep. 3, 12 *praefectus iacet hic Apollinaris post praetoria recta Galliarum.* Cf. etiam Claud. in Eutrop. 1, 284 *gestis pro talibus annum flagitat Eutropius, ne quid non polluat unus, dux acies, iudex praetoria, tempora consul.* Inutile autem, quod Schraderus malebat *praefectus nutu.*

275. qualem poscat facundia sedem. Nobilis est illa vox M. Catonis: *orator est vir bonus, dicendi peritus*, quam copiose exequitur Quintilianus init. libr. 12. Eius exemplum fuisse Messalam poëta significat. *Sedem* enim dicit animum, in quo quasi sedere debet bonitas ac facundia. Burmannus citat Claud. Stilich. 2, 12 *haec dea* (i. e. clementia) *pro templis et thure calentibus aris te fruitur posuitque suas hoc pectore sedes;* ac Symmachus Ep. 4, 59 *qui sciam in pectoribus sedem esse religioni.* Quare non opus est eo, quod Crusius Prob. Crit. p. 60 et Schraderus corrigebant *legem.*

276. quisque disertus erit. Wernsdorfii ceterorumque recentiorum praeter Dammium et Kappium interpunctionem secuti sumus. Nam *quisque* hac quidem aetate non raro est *quicunque*, *quisquis*, ut, ne extremae latinitatis auctores, quorum aliquot locos attulit h. l. Sitzmannus, laudem, Auson. Sept. Sap. in Pittaco 5 *pareto legi, quisque legem sanxeris;* ibidem in Cleobulo 5 *parcit quisque malis, perdere vult bo-*

nos; Sidon. Apoll. Ep. 4, 11 extr. *at tu, quisque doles, amice lector;* id Carm. 22, 9 *quisque tamen tantos non laudans ore penates inspicis.*

277. crepuscula. Recte de hac voce praecipit Servius ad Virgil. Aen. 2, 268, cum proprie dubia esset, usum tamen obtinuisse, ut vespertinum potius tempus quam matutinum significaret. Sed peccant deterioris aetatis scriptores. Wernsdorfius attulit Avien. Progn. p. 115 Grot. *at decedentis postrema crepuscula noctis.* Adde Symmach. Ep. 1, 3 *priusquam manifestus dies creperum noctis absolveret;* Sid. Apoll. Ep. 8, 3 *cum me defatigatum ab excubiis ad deversorium crepusculascens hora revocaverat.*

279. Munione. Iussi et Virgilium Aen. 10, 183 et Rutilium suum utrumque habere, ut ille quidem fluviolum dicat *Minionem*, hic *Munionem;* sic enim h. l. auctoritas codicis et editionis postulat. Nam quod Cluverius Ital. antiq. p. 483 hodie nomen ita dubium esse testatur, ut modo Mignone, modo Mugnone sonet, idem olim accidisse opinor. *Ostia* autem eius fluvii *parva trepidant* i. e. aqua per ostium arenis oppletum impeditius fluit aegreque iis superatis in mare pervenit, unde *solum* maris illo loco *suspectum* sive vadosum esse colligitur. *Trepidare* in simili re dixit Horat. Ep. 1, 10, 21 *quam quae* (aqua) *per pronum trepidat cum murmure rivum;* id. Carm. 2, 3, 11 *obliquo laborat lympha fugax trepidare rivo.* Itaque non placet, quod Wesselingius in Observat. II, 30 emendabat *crepitant*, quasi non arenosa, sed saxosa ostia fuerint. Quod autem pro *suspecto solo* Crusius in Probab. Crit. p. 61 malebat *suspenso solo* i. e. excavato litore, quis, quaeso, probabit? Soloecum vero est, quod Dammius edidit *suspecto trepidant horia parva solo*, quoniam horia, navicularum genus, primam declinationem sequitur.

281. Graviscarum. Oppidum erat antiquitus

non ignobile, inde ab anno 181 a Chr. colonia civium Romanorum, Strabonis aetate exiguum, hodie nullum, ut ne locus quidem, quo fuerit, ullis ruinis ruderibusque agnoscatur. Quare dubitatum est, quo loco fuisset, dum Cluverius Ital. antiq. p. 483 prope eam urbem, quae hodie Corneto vocatur, in planitie quadam humili ac palustri situm fuisse demonstravit. Quod quoniam montes silvis obsiti circumdabant, factum est, ut Rutilius *fastigia* tantum aedificiorum, non aedificia ipsa cerneret. Hoc igitur oppidum Virg. Aen. 10, 184 nominat *intempestum,* ad quem locum Servius M. Catonem tradere narrat, illi inde nomen esse datum, quod gravem sustineret aërem, quemadmodum Minturnae propter paludis propinquitatem ab Ovid. Met. 15, 716 *graves* appellantur. Idem de Graviscis narrat Rutilius. Cur tamen additur *saepe* eas premi aestivae paludis odore? Quia certe nec omnibus annis aeque molestae erant paludes nec omni aestatis tempore. Illud enim, quod Marklandus ad Silv. 4, 3, 137 emendabat *quas premis aestivae, saeve paludis odor,* non opinor verum esse.

283. sed nemorosa viret densis vicinia lucis. Non idem est *nemorosum* et *densis lucis,* ut, quamvis *nemorosus* et *numerosus* saepe confundi doceat Drakenborch. ad Sil. Ital. 4, 60, parum recte tamen Burmannus non improbet, quod Leandro Alberto fortasse invito exciderat *numerosa-densis lucis* i. e. frequens lucis, nec Schraderianum placere debeat *sed generosa viret densis vindemia lucis.* Est enim nemus non arborum modo, recteque apponitur *densis lucis,* ut Ovid. art. am. 3, 689 *silva nemus non alta facit;* Columell. 2, 2 med. *nemorosus arboribus locus;* Plin. Ep. 8, 8 *collis-antiqua cupressu nemorosus et opacus.* Atque iis lucis extrema adeo ora obsita erat; fluctuat enim umbra fretis, cui comparatur ab interpretibus Valer. Flacc. 5, 109 *magnae pelago tremit*

umbra Sinopes; Claud. rapt. Proserp. 443 *quacunque it in aequore, fulvis annatat umbra fretis.* Addo Ausonium Mosell. 194 *tota natant crispis iuga montibus et tremit absens pampinus et vitreis vindemia turget in undis.*

286. Cosae. Urbs erat antiquissima, ex qua iam ab Aenea milites conscripti esse narrantur apud Virg. Aen. 10, 169. Sitam fuisse narrat Strabo 5, 2, 8 in colle non procul a mari, in initio, opinor, stagni marini, quod Strabo ab altero latere Cosae ponit, ibi fere, unde isthmus montem Argentarium cum terra continenti coniungens incipit. Non procul ab eo loco postea fuerat urbs Ansedonia, sed ea quoque hodie maximam partem deserta est. Nam eorum opinio, qui Cosam antiquam prope illud oppidum, quod hodie est Orbetello, fuisse putant, ut reiicienda esse videatur, facit ipsa haec narratio Rutilii, qui prius Cosam, deinde portum Herculis se tetigisse narrat, quod alióquin contra se habere oporteret. Quae autem fabula de Cosae ruina hic traditur, non traditur illa quidem ab aliis scriptoribus, sed nonnunquam similia accidisse veteres narrant, ut Plin. nat. hist. 8 (29) 43 ex Gyaro, Cycladum insula, incolas a muribus esse fugatos, idemque 10, (55), 85 in Troade urbe factum esse ait. Haec vera putentur nec ne, in cuiusque ponatur arbitrio; illud vero pro certo tradit Strabo 3, 4, 17 in Iberis exercitum Augusti a muribus adeo esse vexatum, ut vix se ab iis defenderet, atque vulgo talia esse credita ostendit Cicero de offic. 2, 5, qui in causis interitus hominum *belluarum repentinas multitudines* commemorat.

291. Pygmaeae damna cohortis. Nota Pygmaeorum fabula et gruum cum iis pugnantium, quam primus commemorat Homerus Iliad. 3, 3. Cetera vide apud Heynium ad Virg. Aen. 10, 264. Quod autem paulo post ait in sua bella, intellige in bella gruibus

propria et perpetua, quippe quae naturali discidio nata et quasi hereditaria sint.

293. signatus ab Hercule portus i. e. portus Herculis, quem Cosanum appellat Liv. 22, 11, quia Cosae subiacet. Hodie et eodem nomine utitur et eadem navium frequentia. Navigarat autem poëta eo die, qui alter erat itineris, ex portu Centumcellensi usque ad portum Herculis, quae sunt circiter 54 milia passuum, vento usus satis secundo, qui sub vesperum demum mollior factus est i. e. remissior ac minus vehemens, ut est apud Ovid. Trist. 4, 5, 19 *utque facis, remis ad opem luctare ferendam, dum veniat placido mollior aura deo;* eund. Fast. 2, 148 *a Zephyris mollior aura venit.* Postridie autem mane v. 314 ventum rursus affuisse ait.

295. Inter castrorum vestigia sqq. Totum hunc locum de quattuor Lepidis breviter, sed docte, ut solet, exposuit Lipsius ad Tac. Annal. 14, 2. Primus autem est M. Aemilius Lepidus, partium Marianarum studiosus vel suae dominationis cupidus, qui cum iam in consulatu de actis Sullae rescindendis a Q. Lutatio Catulo dissensisset, postea aperte bellum paravit. Sed a Catulo et Cn. Pompeio ad pontem Mulvium victus in Etruriam, inde ex portu Herculis in Sardiniam fugit. Ibi paulo post morbo et poenitentia eorum, quae gesserat, periit anno 77 a. Chr. Exercitus pars dispersa, pars M. Perperna duce in Hispaniam ad Sertorium perrexit. Rem narrant Appian. bell. civil. 1, 105 et Florus 3, 23.

sermo retexit. Alii dicunt *sermone retexere,* ut Claud. bell. Gild. 325 *talia dum longo sermone retexunt,* vel solum *retexere,* ut Auson. Mosella 298 *qui potis innumeros cultusque habitusque retexens pandere;* Stat. Theb. 3, 338 *multumque et ubique retexens, legatum sese isse;* Ammian. Marcell. 20, 5, 4 *et retexere superfluum puto, quotiens repulimus*

Alemannos; Symmach. Ep. 1, 37 extr. *sed quid diutius ea retexo;* id. 6, 6; 2, 42. Paulo post notabiles ablat. absoluti Lepido praecipitante, qui illud, quod est fugam Sardoam i. e. fugam in Sardiniam factam, explicant. Contraxit enim poëta substantivis, quae sic debuerant explicari: commemoravimus, ex portu Herculis fugam aliquando factam esse in Sardiniam, cum Lepidus praecipitaret i. e. praeceps rueret. Cognatos autem versu insequenti dicit hostes, qui ex eadem sint civitate, aliter atque Lucanus 1, 4, quem locum non recte cum hoc confert Wernsdorfius, Caesaris et Pompeii, affinitate inter se coniunctorum, exercitus dixit *cognatas acies.*

299. Ille tamen Lepidus, M. Aemilius Lepidus, triumvir reipublicae constituendae, qui, cum exercitum in Gallia haberet a bello integrum, M. Antonium ab Mutina profugum excepit eumque auxiliis novis septem legionum adiuvit, ut Caesar Octavianus cum eo ad libertatem opprimendam pacisci iam prope cogeretur. Vide Appian. bell. civil. 3, 84. Triumvirum autem ut significet, gessisse eum ait impia *bella tribus sociis.* Sic enim recte coniunxit Wernsdorfius, ut describatur illud bellum, quod Octavianus, Antonius, Lepidus contra libertatem Romanam gesserunt. Nam ceteri quidem minus recte coniungunt *gessit sociis tribus*, idque latinum esse, ut graece sit ἐπολέμησε τρίτος αὐτός, docere falso instituunt. Quod autem est *urbe pavente*, cum in editione principe vitiose esset urbe favente, Heinsius emendabat *urbe patente*, Dammius et Wernsdorfius ediderunt *orbe pavente.* Quid autem ad orbem pertinebant proscriptiones, quae tunc instabant?

303. Tertius est M. Aemilius Lepidus, triumviri et Iuniae, M. Bruti sororis, filius, qui cum pacem ab Augusto institutam evertere ac novum bellum accendere pararet, mira celeritate a Maecenate, tunc praefecto urbi, oppressus est anno 26 a. Chr. Narrat rem

Vellei. 2, 88; attingunt Suet. Aug. 19; Livius Epit. libr. 133; Seneca de brevit. vitae 5, de clem. 1, 9. Is autem tristibus excepit congrua fata reis i. e. non acie cecidit, sed merita poena interemptus est in carcere. *Excipere* enim *fata* est mortem oppetere. Vulgare illud est *vulnera excipere*, ut Cicero p. Sext. 10, 23; Suet. Aug. 20. Cf. Drakenb. ad Liv. 2, 47, 7. Quare non opus est Heinsiano *exegit.*

305. Quartus est M. Lepidus, alter maritus Drusillae, qui anno 39 p. Chr., ut in regnum ab imperatore Caligula, fratre Drusillae, promissum ante tempus invaderet, cum Lentulo Gaetulico coniuravit et stuprum cum Agrippina et Livilla, Gaii sororibus, iniit. Vide Dion. Cass. 59, 11 et 22; Suet. Calig. 24. Lipsius et Rycqius ad Tac. Annal. 14, 2 dissentiunt, cuius fuerit filius, ut demonstrent, cur *incestum* vocetur a Rutilio hoc adulterium, quod ad hunc quidem locum parum pertinet; nam illud certe est incestum, quod cum uxoris sorore committitur. Irrependi verbum optime illustrat Barthius allato Taciti loco, qui est Annal. 1, 7 de Tiberio, *dabat et famae, ut vocatus electusque potius a republica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione irrepsisse.* Nihil igitur opus est eo, quod Schraderus coniiciebat *irrepere lecto* vel *tecto.*

307. nunc quoque notet. Nihil agebant Barthius et Burmannus, qui aposiopesin tollebant. Quorum ille quidem coniiciebat *nunc quoque, sed melius de notis fama queretur* i. e. nunc quoque fama de illis Lepidorum facinoribus queretur, sed melius, quia nota ea reddidi meo carmine, hic *nunc quoque (di melius) de nostris fama queretur.* Sic potius supple: nunc quoque aliquis Lepidus pacem turbat patriaeque bellum infert, quem nolo nominare, quia fama significari malo. Quem hominem dicat, cum incertum sit, in Observat. tamen §. XXVII conieci significari Clau-

dium Posthumum Dardanum, qui cum fratre Claudio Lepido commemoratur apud Gruter. p. 111, 6. Is enim, qui et plurimis dignitatibus functus esse illo loco dicitur atque anno 416 contra Iovinum imperatorem bellum gessisse eumque interfecisse narratur ab Olympiodoro (in script. hist. Byzant. ed. Bonnen. I p. 426), a Sidonio Apollinari Ep. 5, 9 inter affectatores imperii numeratur et maximis criminibus notatur. Quod in proximis est queretur, immerito Dammius, Kappius, Wernsdorfius, ut respondeat ei, quod sequitur *notet*, mutarunt in coni. *queratur*. Fama certo queretur, posteri, qui alieni ab omni studio facta et consilia hominum considerabunt, admonendi sunt, ut iudicent meritaque memoriae ignominia *semina dira* i. e. infaustum reipublicae Lepidorum genus *notent*. *Vindicem* posteritatem nominari, quod Heinsio placebat, non opus est.

311. quicquid id est i. e. utut res se habet, sive scelus nomini ac genti, sive nomen sceleri adhaeret, admodum usitata dicendi formula, ut apud Virg. Aen. 2, 49; Ovid. Her. 7, 71; ibid. 19, 203; eund. ex Ponto 1, 1, 21. Sequitur Lepidum-reccidit-malum i. e. calamitas a Lepidorum genere proficiscens redit. Imago petita est a frumento, quod cum demetitur, fit, ut nonnulla semina rursus in terram cadant ac renascentia plantam instaurent. Illud semen *recidit* ac *recidivum* vocatur. Documento est locus Melae 3, 6, 17 *adeo agri fertiles, ut, cum semel frumenta sata sint, subinde recidivis seminibus segetem novantibus, septem minimum, interim plures messes ferant;* itemque *recidiva semina* sunt apud Prudentium in Symmach. 2, 819 *non facit ergo pares in relligione tuenda aëris et coeli communio: corpora tantum gignit, alit, reparat, recidivaque semina servat.* In bona latinitate imprimis nobile est *Troia recidiva* i. e. renascens ab excidio, ab incolis,

qui cladi superfuerant, rursus condita, apud Virgil. Aen. 4, 344 *et recidiva manu posuissem Pergama victis;* ibidem 7, 322 *funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae;* ibid. 10, 58 *recidivaque Pergama quaerunt*, quo postremo loco Servius minus recte a recidendis arboribus sumptum esse ait. Imitantur Virgilium Sil. Ital. 1, 106; Ovid. Fast. 4, 45; Senec. Troadib. 472; eodemque pertinet, quod est apud Iuvenal. 6, 363 *velut exhausta recidivus pullulet area nummus*, quo loco etiam pullulandi verbum a seminibus provenientibus petitum est. Item *febres* dicuntur recidere, ut apud Plin. nat. hist. 28, 16 (66) *quartanis magi excrementa felis cum digito buboribus adalligari iubent, et, ne recidant, non removeri, septeno circuitu*, atque *recidivae febres* apud Celsum 3, 4; Plin. nat. hist. 30, 11. Inferiori vero latinitati ita illa vocabula placuerunt, ut ad omnia mala transferrentur, ut Ausonius in grat. act. Gratian. extr. *quae bona praestas, efficis, ne caduca sint, quae mala adimis, prospicis, ne possint esse recidiva;* Symmach. Ep. 9, 50 *nè quando alteri servata iudici cognitio recidivam filio gignat iniuriam.* Alios locos vide apud Heinsium ad Claudiani Phoenicem 6, 6 et Drakenborch. ad Sil. Ital. 1, 106, imprimis autem apud I. F. Gronovium ad Senec. Troad. 472, a quibus tamen principalis illa vis vocabuli, de qua supra dictum est, parum recte explicatur. Hoc igitur malum sepidum recidere dicitur, quod, cum semper opprimeretur, nunquam ita extinctum est, ut repullulare nequiret. Scripsimus autem *reccidit*, ut iubet Schneiderus in gramm. lat. p. 586 et 595 sqq. Praesens *reccidit* longa prima syllaba legitur apud Ovid. Met. 15, 18 *in quem reccidimus, quicquid mortale creat*; Iuvenal 12, 54 *illuc reccidit ac se explicat.* Nunquam utroque loco varians scriptura annotatur *recidit*. Sed infinitivus tamen *reccidere* apud Lucret.

1, 857; 1, 1062; 5, 281, et *reccidat* apud Ovid. Met. 6, 212; Phaedr. fab. 3, 18, 15 demonstrat praesens *reccidit* recte dici. Quod ad modum ac rationem significandam additum est ense, debuerat proprie esse *cum ense* i. e. cum bello, sed excusatur multis similibus exemplis, quae vide apud Drakenb. ad Liv. 5, 45, 2. Heinsius quidem ad Ovid. Her. 14, 46, ubi sic est *ter male sublato reccidit ense manus*, et Burmannus, quia Ovidium Met. 1, 190 *immedicabile vulnus ense recidendum* exprimendum esse putabant, emendabant *rescidit*, hac sententia: *ordo annalium ense malum rescidit* i. e. rescissum esse narrat, ut esset apud Horat. Serm. 1, 10, 36 *iugulat Alpinus Memnona*. Wernsdorfius vero *reccidit* explicat in cassum cadit, reprimitur. Quasi hoc sit mirum, quod malum Lepidum reprimebatur, non quod, cum esset repressum, renascebatur. De indole autem gentis Lepidae contra, ac Rutilius, sentit Tacitus Annal. 6, 27 *Aemilium genus fecundum bonorum civium et qui eadem familia corruptis moribus, illustri tamen fortuna egere.*

313. decessis umbris. Prisce locutus est. Talia enim sunt, quod Gellius 17, 2 ex Claudio Quadrigario affert *sole occaso*, quod erat in XII tabulis *sol occasus suprema tempestas esto*, quae sunt apud Priscianum p. 869 *sole occaso ductoque, multis utrimque interitis, custodibus discessis multi interficiuntur.* Atque etiam Plaut. Epidic. 1, 2, 41 *ante solem occasum.* Haec postea renovata. Scribon. Largus compos. medicam. 100 *est enim vitium non contemnendum utique in processa aetate;* Apuleius de mundo p. 736 *obitorum loco;* Sidon. Apollin. Ep. 2, 10 *ut Latiarem linguam brevi abolitam defleamus interitamque;* Prudent. Apotheos. 1006 *descensos nascendo gradus redeundo retexit.* Itaque nec *discussis umbris*, quod Almeloveenius, nec *detersis*, quod Heinsius malebat, opus est, praesertim cum decedendi verbo ea-

dem de re utatur Virgil. Eclog. 8, 14 *frigida vix coelo noctis decesserat umbra.*

314. vortice. Sic codex atque editio princeps et hic et infra v. 640; nam v. 116 et 2, 30 est in iis *vertex.* Nam quam aliquando putatum est significationis intercedere diversitatem, eam nullam esse consentiunt Schneider. in gramm. lat. Vol. I p. 12, et Drakenb. ad Liv. 28, 3, 9.

315. Mons-Argentarius, hodie monte Argentario, ab argenti fodinis, quae etiamnunc sunt, dictus, est peninsula per isthmum angustum vix ducentorum pedum cum continenti cohaerens, quae inde ab eo loco, ubi portus Herculis est, ita tenditur in mare i. e. excurrit (quemadmodum Claud. bell. Gild. 512 *tenditur in longum Caralis)*, ut ab altera parte ingens stagnum marinum sit, quod λιμνοθάλασσαν Strabo nominat, cui hodie urbs Orbetello adiacet, per exiguum fretum cum mari ipso coniunctum. Litora peninsulae mons ambit, cuius iugum australe promontorium efficit, quod Argentarium sive ab Cosa urbe Cosanum dicitur, septemtrionale eo loco finitur, quo hodie portus Sancti Stephani est. Illud igitur anceps sive duplex est iugum, de quo poëta dicit. Longitudo insulae, cum alia aliis locis sit, media a portu S. Stephani usque ad portum Herculis duodecim fere milium est; transversos colles i. e. si per transversum metiare, sex milia tantum efficere ait ipse poëta idque confirmant, qui hodie eas regiones viserunt. Quia autem latitudo insulae exigua est ad ambitum, artari eam ait transversam, patere circuitu maris i. e. si mari circumeas. Curva autem caerula Wernsdorfius explicat ea, quae a monte sinuoso iugo in mare procurrente curventur, ut est apud Senec. Hippolyt. 25 *qua curvati litora ponti Sunion urguet;* Lucil. Aetna 93 *extremique maris curvis incingitur undis.* Rectius fortasse ea intelliges, quae curva esse videntur,

quam speciem maris intuentibus apparere constat. *Caerula* h. l. substantivi vicibus esse ipse docet Rutilius, qui infra 2, 30 *caerula Etrusca*. Quare nec eo, quod metro neglecto invenit Almeloveenius *caerula cava*, opus est nec Leandri Alberti emendatione *caerula rura*, quae Dammio placuit. Idem autem Albertus versu insequenti pro eo, quod est *artat*, scripsit *effert*.

319. qualis per geminos fluctus-aquas. Corinthiacum Isthmum (Ephyre enim vetus nomen Corinthi) comparat cum monte Argentario, propterea quod uterque in mare excurrit atque longior est quam latior. Primum igitur isthmum dicit *per geminos fluctus porrigi* (tale enim aliquod verbum supple), deinde eius litus bimare, ut Ovid. Met. 7, 405 ipsum *isthmum*, idem Met. 5, 407; Her. 12, 27; Horat. Carm. 1, 7, 2 *Corinthum* nominant bimarem. Illud vero notabile, quod Ionias aquas findi ait, cum Aegaeum et Ionium mare dicendum esset. Sed si uno nomine appellare volebat, nullum certe erat aptius. Nam et Aegaeum mare aliquando vocatur Ionium, ut Valer. Flacc. 1, 23 Peliae, Thessalorum regis, amnes esse ait, *Ionium quicunque petunt*, et Hadriaticum ita totum pertinebat ad Ionium, ut ab Avieno Perieg. 141 nominaretur *Ionius sinus*. Itaque non recte mutabat Burmannus, qui aut pro eo, quod est *findit*, emendari volebat *finit*, aut sic corrigebat *quali inter geminos fluctus Ephyreius Isthmos Ion. bim. litore finit aquas*, neutrum recta sententia, siquidem ineptum est aut *per geminos fluctus* dici aut *bimare*, quod finiat.

321. sparsae dispendia rupis i. e. dispendia viae, quae sparsa per mare rupes parat. Ut enim compendia, sic dispendia viae dicuntur, ut apud Martial. Epigr. 9, 100, 5 *tu qui longa potes dispendia ferre viarum;* atque huic loco etiam similiora sunt, quae affert Barthius, Lucani 8, 2 *Haemoniae deserta petens dispendia silvae*.

322. sinuosa cura. Intelligo curam sinuum, ut terrae sinus, quos mons ille efficiebat, praeternavigarentur, ut Phormio ait apud Terent. (Phorm. 5, 7, 3) *et Phaedriae curam adimere argentariam* i. e. argentum sibi faciendi. Non intelligo curam velorum, quod Wernsdorfio placet; nec enim dicitur sinuosum, quod ad vela pertinet. Nec magis assentior Burmanno, qui *ripa-caret*, aut Almeloveenio, qui *rura-carent* emendabat. Ceterum in Reusneri editione v. 321 est *circumvehitur*, v. 325 *sinuosa*, pro eo, quod est *silvosa*, utrumque operarum errore, opinor. Paulo post quod est vario-flexu, est *cum varie flectimus saxa prominentia*. Ipsi enim, qui navigant, sinus et dispendia rupis flectunt. Cic. de divinat. 2, 45, 94 *quod, qui navigant, maxime animadvertunt, cum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas saepe sentiunt;* idem ad Att. 5, 9 *et Leucatam flectere molestum videbatur*. Versu insequenti cum in editione principe mendose esset *non*, Simlerus, Almeloveenius, Dammius scripserunt *nunc*, Barthius longius recedens *iam*, ceteri Castalione auctore *modo*. Hoc codex noster confirmavit.

325. Igilii. Insula, contra montem Argentarium sita, hodie quoque nomen vetus (vocatur enim Giglio) servat. Praeter geographos commemorat Caesar bell. civ. 1, 34. Quae Rutilius de ea narrat, ad bellum Geticum, octo fere annis (*nuper* ait poëta), antequam haec scripta sunt, gestum, in quo cum Alaricus rex Romam (haec enim est *lacera* i. e. capta ac direpta urbs, ut supra v. 29 *laceros fundos*) peteret, nobilissimus quisque ac ditissimus profugit. Atque Igilium quidem proximus iis *portus* (v. 335; est autem etiam hodie ibi portus oppidulumque ad eum) erat, in quo tuti essent. Cf. v. 331 sqq. Plurimos in terras multo remotiores, in Aegyptum, in Syriam, in Africam abisse narrant Hieronym. ep. 12 et Augustin. de civit. dei 1, 32. Nec

vero Gothi insulam videntur invasisse, nam quod v. 529 ait eam obstitisse victricibus armis, tamquam longinquo mari dissociatam, nihil certe auxilii in longinquitate, nisi ad eam rem, ne invadare, idque significat v. 336. Itaque poëtice auget, quod Gothi insulam invadere noluerant. Cf. Observat. §. XXVIII.

328. sive loci ingenio seu domini genio. Quae plerumque *natura loci* vocari solet, eam hic, ut facetias captet, *ingenium loci* dicit, ut Claud. rapt. Proserp. 1, 140 *Ceres-commendat furtim sua gaudia terris ingenio confisa loci;* Sil. Ital. 14, 283 *ingenio portus urbs invia;* Stat. Silv. 2, 2, 44 *locine ingenium an domini mirer prius*, eique opponit hunc ipsum, opinor, Statii locum imitatus *genium domini* i. e. fortunam imperatoris Honorii, qui dominus est universus, quae insulam tutam ab hostibus praestiterit. Quod autem versu insequenti est gurgite-modico, refer ad dissociandi verbum: cum gurgite modico tamquam longinquo mari dissociata obstitit, quod secus fieri video a Dammio.

333. plurima terreno populaverat-eques. Equitem dicit hostem, et quod Gothi ipsi multum equitatu valebant, et quod Hunni, quos Athaulfus ex Pannonia adduxerat nonnullaeque aliae gentes, quae cum Gothis erant, paene totae equitatu constabant. Quod autem eum hostem ait contra naturam (i. e. contra ac solet fieri in equitibus) classe metuendum esse, ultra quam verum est, auctum esse puto. Quae enim traduntur de Visigothis, eos nunquam mari potentes fuisse ostendunt, ut, cum post Romam captam Siciliam frustra ab iis tentatam esse narrant Oros. 7, 43; Iornandes de reb. Get. 30; itemque frustra eos ann. 418 ex Hispania in Africam transire conatos esse dicunt iidem illi. Nec si multum mari valuissent, nulla eius rei ad nos pervenisset memoria. Idem de plurimis aequoribus (i. e. insulis in mari

sitis, ut recte interpretes) vastatis iudico. Quod autem est terreno bello, intelligo *quamvis bellum esset terrenum* atque in Italia, terra continenti, gereretur, ut ablativi sint absoluti, non apti sint ex populandi verbo, quod minus recte Dammio placuit. Neque enim certe illud est terrenum bellum, in quo classis adhibetur.

335. mira fides i. e. difficile est ad credendum. Sic Stat. Silv. 3, 3, 20 *celeres genitoris filius annos (mira fides) pigrasque putat properasse sorores;* ibidemque 1, 3, 20 *ipse Anien (miranda fides) infraque supraque saxeus hic tumidam rabiem posuit*, ut non opus sit Burmanni coniecturis, qui mavult aut *vera fides*, aut *mira vides*, aut denique *unum mira quies vario discrimine portum*, ut omnibus circa bello ardentibus ac vastatis, in illa insula pax et quies fuisse dicatur. Quod versu proximo est tam prope Romanis, tam procul esse Getis, hoc ait, Igilium propter propinquitatem perfugium fuisse Romanis, propterea quod remotior esset, non esse invasum a Getis, imitatus, opinor, Martialem Epigr. 1, 87, 9, qui de Novio, vicino suo, *nec urbe tota quisquam est tam prope tam proculque nobis.*

337. Umbronem. Flumen est *non ignobile*, quia navigiorum est capax, ut ait Plin. nat. hist. 3, 5, quod in montibus circa Senam urbem ortum mediam fere Etruriam secat. Est autem hic distinguendus ab altero Umbrone, qui Arno ad dextram accedit. Hodie uterque veteri nomine Ombrone dicitur. Hunc tuto ore ait excipere naves, cum mare sit procellosum. Nec enim aut codici nostro, qui, si fides est silentio, *toto ore* habet, aut Burmanno et Wernsdorfio idem probantibus credo. Nam nec hoc laudat in Umbrone, quod nullis arenis impeditus fluat, quod supra v. 274 in Munione vadoso notarat, nec ea hic utitur imagine, qua Virgil. Aen. 8, 712, ubi Nilus dicitur *pandere si-*

mus et tota veste vocare fugientem Antonium, quod opinatur Wernsdorfius. Unum hoc dicit, tutum esse Umbronis ostium, cum periculosum sit mare. Itaque addit *trepidas* naves et paulo post de procella.

339. pronis-undis. Non intelligo cum Barthio et Wernsdorfio eas, quae ex mari revolvuntur in fluvium, ut commode naves intrent. Nihil enim illud singulare, nec eae dicuntur pronae undae, quae sunt adverso flumine. Eas igitur intelligo, quae non turbantur procella, qua fit, ut fluctus revolvantur. Virgil. Aen. 8, 548 *pars cètera prona fertur aqua segnisque secundo defluit amni.* Quod autem est tam facilis, supple: ut tutus sit etiam in tempestate. Nihil igitur opus est eo, quod a Burmanno excogitatum edidit Kappius, *nam facilis.*

341. hic ego tranquillae volui succedere ripae. Recte Dammius: in terram volui egredi ad pernoctandum, secus Kappius, cum secundum ripam procedere explicaret, coniiciebat *hinc ego tranquillae.* Saepe autem succedere, dativo iunctum, est accedere ad aliquid. Ne Liviana afferam *succedere muro, vallo,* Virg. Aen. 3, 276 *parvae succedimus urbi,* et de appellendo ad litus idem Aen. 7, 213 *nec fluctibus actos atra subegit hiems vestris succedere terris.* Ut autem hoc potissimum loco pernoctare vellet, movit Rutilium, quod haud procul ab litore viae Aureliae, quae ibi proxime ad mare accedit, statio est, quae in itinerariis vocatur ad Umbronem.

343. festinantem, non *festinantes,* ut Dammius, Kappius, Wernsdorfius correxerunt. Herus enim est poëta ac dominus navigiorum. Proxime pro eo, quod est *rèliquit* in edit. vetustioribus et in codice nostro, recentiores a Dammio editores scripserunt *relinquit,* nolentes, opinor. Nam aequalitatem temporum *relinquit-licet* non videntur secuti esse, cum antecedat *volui-sequor.* Totum autem hunc versum Castalio vidit ex-

expressum esse ex Virg. Aen. 3, 568 *interea fessos ventus cum sole reliquit.*

345. noctis requiem metamur i. e. locum ad requiem, ad pernoctandum, ut Ovid. Met. 4, 642 *hospitium requiemque peto;* ibidemque 8, 629 *mille locos adiere locum requiemque petentes.* Metandi verbum sumptum a re castrensi, ut Plin. nat. hist. 6, 32 *Scenitae a tabernaculis cognominati, quae ciliciis metantur.* Videtur autem pernoctasse poëta inter Almam et Pecoram fluvios, quo certe loco et litus est arenosum et silva etiamnunc permulta, myrti an aliarum arborum, nescio. Sed *litora myrtus amat,* ut ait Martial. Epigr. 4, 13, unde ipsa vocatur *litorea* ab Ovid. Amor. 1, 1, 29.

347. parvula subiectis erat. Explicavit hunc locum I. F. Gronovius ad Senec. Thyest. 54, quamquam non laudo, quod emendavit *subrectis* pro eo, quod est *subiectis.* Non confero Virg. Eclog. 10, 74 *quantum vere novo viridis se subiicit alnus,* quem locum minus recte comparavit Wernsdorfius, sed Caesarem bell. Gall. 4, 17 in descriptione pontis in Rheno facti *ac nihilo secius sublicae et ad inferiorem partem fluminis obliquae agebantur, quae pro parietе subiectae et cum omni opere coniunctae vim fluminis exciperent.* Culmen autem sive columen est proprie trabs in summo aedificio posita, unde cetera ligamenta tecti apta sunt, quemadmodum in piscibus a spina dorsi maiore reliquae proficiscuntur. Facta nimirum erant tentoria in formam maxime graecae literae A, ut remi proni ac fastigati in terram defixi contra se invicem procumberent, insuperque immisso culmine distinerentur. Quod autem est *subito culmine,* recte Wernsdorfius explicat *cum culmen subitarium faciendum esset.* Nam Barthii coniectura *subito culmina,* quamvis ingeniosa, non est necessaria.

351. Ilva. Imitatur Virgilium Aen. 10, 174 sic de Ilva dicentem: *insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.* Graece est Aethalia, hodieque celebratissima. Portus eius, antiquitus Argous, hodie porto Ferraio, a litore Populoniensi duodecim maxime passuum milia abest. Comparat autem cum ferro Ilvae primum Noricam-glebam i. e. terram ferri feracem, quae in Noricis metallis effoditur, de qua narrant Strabo 5, 1, 8; Plin. nat. hist. 34, 41; Horatiusque Carm. 1, 16, 9 *Noricum ensem* laudat.

353. Biturix largo potior strictura camino i. e. non plus ferri effoditur in Biturigibus. Is autem populus in Aquitania est prope Arvernos ad Ligerim. Vide Strabon. 4, 22; Caesar. bell. Gall. 7, 22 et 3, 21. *Strictura* est ferrum in fornace decoctum et per malleum in massam coactum; *caminus* graeca vox, latine *fornax*, ut docet Serv. ad Virg. Aen. 3, 580. Nec vero Ilvae ulla proprie erat strictura, siquidem praeter antiquissima tempora (Diodor. 5, 13) nec erant nec sunt hodie ibi officinae ferrariae. Nam deest silva, qua ferrum excoquatur; itaque ad liquefaciendum in litus Populoniense traiicitur. Vide Strabon. 5, 2, 6 et Serv. ad Virg. Aen. 10, 174.

354. quae Sardonico cespite massa fluit. Fuerat antea in editionibus veteribus *Sardonio*, dum Graevius in eo metri vitium deprehendere sibi visus est, immerito quidem, quod Santenius in supplementis edit. Wernsdorfianae Graecorum scriptorum locis demonstravit, cum posset latino Prisciani Perieg. 85 *inter Sardonium pelagus Celtumque refusi.* At editores certe a Burmanno omnes, Heinsio ad Claud. bell. Gild. 508 et ad Nemesiani Eclog. 4, 53 obsecuti, scripserunt *Sardoo*, ut supra est v. 296 *Sardoam-fugam.* Nos codicis auctoritatem non deserimus; item enim Sardonicum, quod a Sardinia proficiscitur, dicit Salv. Massiliens. de gubernat. dei 7, 1 extr. Difficilius est

de ipsa re iudicare. Nemo enim usquam veterum ferrum Sardiniae commemorat. Ferax erat insula frumenti et prioribus temporibus et hac aetate (cf. Gothofred. ad Theod. Cod. 9, 40, 3); item montes eius divites argenti esse ait Solin. c. 11, atque Sidon. Apoll. Carm. 5, 49 *Sardinia argentum, naves Hispania defert*, ut hoc loco argentum Sardiniae cum ferro Ilvae comparari putet Gothofr. ad Theod. Cod. 10, 19, 6. Quod non probo, vel quia *massa*, nisi quae ferri est, non fere dicitur. Itaque iis acquiesco, quae hodie esse narrantur. Sunt autem sex ferri fodinae in Sardinia, unde et plurima et optima metalla proveniunt, ac plura etiam caperentur, si vel studiosius vel diligentius ei rei opera daretur. Vide Hoerschelmanni descriptionem Sardin. p. 363. Atque etiam ex veteribus temporibus tamquam vestigium quoddam ferri in Antonini itinerario (p. 80 ed. Wesseling.) locum quendam commemorari inveni, tredecim milibus supra Caralim urbem situm, cui nomen *Ferraria* datur, unde, opinor, etiam hodie promontorium quoddam in eadem insulae parte situm vocatur Capo Ferraio. *Cespitem* recte Wernsdorfius terram, unde ferrum excoquitur, intelligit, ut v. 352 est *Norica gleba*. Quod enim Barthius terram ad solem arefactam et pro lignis ustam interpretatur, homo suae patriae mores sine causa ad alienas terras transtulit. Idem versu 355 coniecit *ferri fecunda cicatrix*, quod vix potest intelligi. *Creatrix* autem imprimis fecunda erat Ilva, quod ferrum putabatur succrescere, ut narrat Strabo 5, 2, 6.

356. Tartessiaci-Tagi. Tagum aurum secum ducere frequens apud veteres fama est. Vide Plin. nat. hist. 4, 22, 35. *Tartessiacus* autem nominatur, quod in mare occidentale effunditur. Tartessus enim antiqua, de qua ipsi veteres dubitant, sive Gades fuit, sive Carteia, sive alio quo loco, ad Oceanum certe sita fuit. Itaque Lucan. 3, 99 et 6, 1 et 10, 538 so-

lem *in mare Tartessiacum* abdi ait, item Ovid. Met. 14, 416. De Tago autem sic dixit Claudian. in Ruf. 1, 101 *non Tartessiacis illum satiavit arenis tempestas pretiosa Tagi.*

357. aurum letale est, quod per cupiditates, quas excitat, multorum hominum caedes inter se affert, non, ut Wernsdorfius ait, quod est perniciosum, pestiferum; nunquam enim sic dicitur *letalis.* Rectius Burmannus, ut illam sententiam efficeret, frequenti commutatione scribi maluit *fatale.* Quod autem dicit materies-vitiis parandis i. e. quasi emendis ac comparandis (quod enim Burmannus corrigebat *vitiis patrandis*, falsum esse apparet), Horatium videtur imitari, qui Carm. 3, 24, 49 aurum *summi materiem mali* vocat, alterumque similem locum affert Wernsdorfius Sulpicii Luperci (Poët. Lat. Min. T. III p. 235), ubi aurum *ferale pretium et turpis materies sceleris* dicitur.

359. aurea legitimas expugnant munera taedas sqq. Nuptas mulieres (eas enim significant *legitimae taedae)* auro *expugnari* ait, i. e. corrumpi, solito in re amatoria vocabulo, ut Propert. 4, 12, 9 *haec etiam clausas expugnant arma pudicas:* Cic. p. Cael. 20, 49 *utrum hic tibi adulter an amator expugnare pudicitiam an explere libidinem voluisse videatur;* Horat. Carm. 3, 15, 9 *filia rectius expugnat iuvenum domos.* Virgines autem auro corrumpi Danaës exemplo demonstrat. Ad eam enim pertinet aureus imber, cuius specie Iupiter eam vicit. Nec tamen propterea scribendum est *aureus imber init*, quod Schradero placebat. De totius autem loci sententia conferendus imprimis Horat. Carm. 3, 16 init., qui de auro dicens et Danaës fabulam commemorat et addit *diffidit urbium portas vir Macedo-muneribus*, Philippum, Macedonum regem, designans, de quo Plutarch. in Aemilio Paullo 12 ἐῤῥέθη, ὅτι τὰς πόλεις αἱρεῖ τῶν

Ἑλλήνων οὐ Φίλιππος, ἀλλὰ τὸ Φιλίππου χρυσίον. Eundemque versu insequenti a Rutilio, Horatium imitante, significari arbitror.

362. ambitus est hoc tempore, si qui suffragiis eorum, qui gratia apud principem valent, clam pecunia corruptis honores a principe assequi student. Ea nimirum sola ratio comitiis sublatis relicta erat. Vide potissimum Gothofredum ad Theod. Cod. 9, 26, 1. Ac sub Arcadio quidem initio fuerat ambitus per Rufinum et per Eutropium, si fides est Claudiano in Rufin. 1, 179 *profert arcana, clientes fallit et ambitos a principe vendit honores*, in Eutrop. 1, 196 *quicquid se Tigris ab Huemo dividit, hoc certa proponit merce locandum, institor imperii, caupo famosus honorum.* Postea coërcitus est lege, quae est in Theod. Cod. 9, 26, 1. Honorium autem, ut imperare coepit, protinus ambitum sustulisse ait Claud. III cons. Hon. 186 *cumque suo demens expellitur ambitus auro. Non dominantur opes, non corrumpentia sensus dona valent: emitur sola virtute potestas;* id. Stilich. 2, 114 *ambitio, quae vestibulis foribusque potentum excubat et pretiis commercia pascit honorum, pulsa simul.*

364. vivendi prima-via. Nam primi homines aetate aurea, quos *semideos* vocat, cum *Martem ferratum* i. e. bellum ferro gerendum nondum nossent, vitam a feris ferro tuebantur, ut ipse deinde explicat. Nec enim recte Wernsdorfius agro ferro culto primam vivendi viam inventam esse dicit; nam primi homines a poëtis agro abstinuisse narrantur.

367. humanis manibus-manus. Ludit in voce *manus*. Nam et a natura habet homo *manus* et arte sibi parat *alias*, nimirum *ferrea tela*. Notabilis autem usus verbi *sufficiendi*, quod est aliquando *adesse*, *praesto esse*, *suppetere*, ut Ovid. Met. 4, 586 *illa quidem vult plura loqui-nec verba volenti sufficiunt*. Hoc

igitur dicit: *humanis manibus inermis*, i. e. nisi armatae sint, *non sufficit usus*, vel humanae manus, nisi armatae sunt, nisi tamquam alias quasdam manus habent ferrea tela, non sufficiunt ad usum.

370. vile celeuma. Duo genera cantuum, quibus in remigando nautae utantur, esse docet Schefferus de milit. naval. libr. III c. 1 p. 180, unum κέλευσμα, clamorem vel carmen (Mamert. Panegyr. Max. Aug. 12, 7) nauticum, quo remiges ab hortatore modo incumbere remis, modo remittere iubeantur, alterum, quae symphonia nominetur, cantilenam prolatam voce, saepe etiam cum instrumentis musicis editam. Lege eundem libr. IV p. 304, Meyerum ad Adami syntagma antiquit. Rom. Tom. II p. 157, Drakenborch. ad Sil. Ital. 6, 361, Savaronem ad Sid. Apoll. Ep. 2, 10. Ille hortator hic intelligitur. *Vile* quod celeuma vocat, Barthio ex causa erat, ut Christianos hic carpi putaret. Cum enim Sidon. Apoll. Ep. 2, 10 suo tempore in remigando a nautis alleluia cani solere significet, vile dici ait, quod poëta christianum cantum aegre tulerit. At *vile* est tritum, vulgare. Scripsimus autem *celeuma* propter codicem et editionem principem. Sic est apud Ascon. in Cicer. divinat. 17, 55. Sed etiam *celeusma* bonum et graece et latine, ut apud Martial. 3, 67, 4.

371. vicina Faleria. Falesiam nominat Itinerarium maritimum, quae forma quoniam magis cum hodierno loci nomine Falese sive Felese convenire videbatur, inferebatur huc ab Hieronym. Surita ad Anton. Itin. marit. p. 501 (ed. Wesseling.) et a Dempstero in Etrur. regal. 4, 12, nulla idonea causa, quod iam Wesselingius l. l. intellexit. Nam saepe *r* et *s* commutantur. Vide Schneideri gramm. lat. Vol. I p. 342. Erat autem hic portus medio aevo non infrequens, hodie terra oppletus inutilis est, propter vicinitatem stagni, opinor, de quo deinde dicit Rutilius. Vide Tar-

gioni Tozzetti itinera Etrusca Vol. IV p. 240. Quod autem est lassatum cursum, intellige fessum; nam v. 349 mane remis se processisse ait. Itaque non probo, quod Castalio ac recentiores plerique ediderunt *laxatum-cursum* i. e. quem laxiorem, longiorem institueramus, ut Wernsdorfius explicat, pro quo certe debuerat esse *laxandum*.

372. medium Phoebus haberet iter i. e. esset in medio itinere, teneret medium iter, ut ait Ovid. ex Ponto 4, 9, 24 *densaque quam longum turba teneret iter;* ibid. 4, 16, 32 *Callimachi Proculus molle teneret iter.* Itaque non opus est Heinsiano *obiret iter;* nec magis indicativo, quem Burmannus ad Ovid. Met. 2, 417 sic inferebat *agebat iter.*

373. sqq. Osiridis festa describit antiquitus ab Aegyptiis ad Romanos translata. Quamquam, dum libera fuit respublica, non admissa sunt, sed coepta a privatis publice prohibita an. 219 et 56 a. Chr. Sed post proelium Mutinense anno 43 Octavianus et Antonius Isidis et Osiridis templum dedicarunt, tertiaque urbis regio Isidis appellata est. Vide supra ad v. 49. Nec Romae modo, sed per totum imperium frequentem fuisse eius cultum ostendunt inscriptiones apud Orell. Vol. I p. 338 sqq. De ipso Osiride nihil dicam, de quo cum multi multa doceant, acquiescam iis, quae breviter, sed apte disputata sunt in Nitzschii lexico mytholog. Vol. II p. 387 sqq. Hoc constat, eius numen gignendo praeesse, quare cum semina in terram conduntur, moritur, ubi ea ex terra proveniunt, renovatur. Eius igitur festa celebrabant pagi, quos notum est diutissime vetera sacra retinuisse, ut paganorum nomen omnium fieret commune, qui antiquos deos colerent. Recte etiam confert Castalio Horat. Carm. 3, 18 *vacat otiosus cum bove pagus;* Ep. 1, 1, 49 *quis circum pagos et circum compita pugnax magna coronari contemnat Olympia?*, addit-

que Wernsdorfius Horat. Ep. 2, 1, 139 sqq. Quod autem eos ait sacris pectora fessa, labore rustico et conserendis agris fatigata, iocis mulsisse, ipsum hoc intellige, quod dixit. Nam sacrificari quidem ceterosque ritus sacros adhiberi dudum imperatores vetuerant, nuperrime Honorius lege, quae est in Theod. Cod. 16, 10, 17. Festos tamen conventus civium et communem omnium laetitiam, etiam convivia festa permiserant. Cum autem versu 373 in editione principe esset *fagi*, recte emendavit Castalio, Simlerus *vagi* scribens metro lapsus est, Kappius vero *facti* edidit atque hoc distichon ei, quod insequitur, postponi malebat. Idem pro eo, quod est *et tum*, corrigebat sine causa *nam tum*.

377. egressi villam-vagamur. Quae villa fuerit, nescitur; nam quod Vetulonios esse dicit Cluverius in Ital. antiq. p. 472, ea urbs supra Populoniam sita eo fere loco, quo hodie sunt turres duae, quarum uni veteri, alteri novae nomen est, longius aberat. Nec lucum, quem poëta dicit, quamquam superest, vocari puto Vetletta. Proximam autem ei loco, quo antiqua erat Faleria, medio aevo celebrem quandam S. Iustiniani abbatiam, conditam anno 1022, fuisse, nec procul alterum monasterium S. Bartholomaei abfuisse docuit Targionius in itin. Etrusc. Vol. IV p. 251. Illud autem, quod Dempsterus in Etrur. regal. 4, 12 et Burmannus coniecerunt atque mihi probatum est in Observat. p. 109, inveni iam etiam in codice Vindob., cum in editione principe esset male *petimus lutoque vagamur*. Aliter Barthius et Dammius scripserunt *ludoque*, i. e. ludendo, ludentes, *vagamur*, Wernsdorfius *ludoque vacamus* i. e. ludo nos damus, Heinsius denique ad Ovid. Met. 13, 903 coniiciebat *lateque vagamur*. Quam autem rectum sit *lucoque vagamur*, inde apparet, quod v. 385 eo maxime nomine ab Iudaeo increpatur, quia *frutices vexavit*, quod certe nisi ambulando per lucum fieri nequibat.

378. stagna-septo deliciosa vado. Prope Falesiam mare ingens stagnum efficit, in quo hoc mirum erat, quod aquae calidae, quae ex solo scaturiebant, fecundissimae tamen erant piscium. Narrat Plin. nat. hist. 2, 103 *Patavinorum aquis calidis herbae virentes innascuntur, Pisanorum ranae, ad Vetulonios in Etruria non procul a mari pisces.* Idemque hodie earum aquarum proprium esse testatur Cluverius in Ital. antiq. p. 473, unde appellentur le Caldane. Romani autem, dum naturam loci in voluptatem suam convertunt, aqua marina in piscinas sive *stagna* coacta, vivaria effecerant, in quibus pisces alerentur. *Deliciosa* igitur Rutilius stagna vocat, quae piscium delicias alant. Nam quod vir quidam doctus in Miscell. observat. III, 3 p. 366 coniecit *desidiosa*, propterea laudari non posse stagna apparet. Versu insequenti cum Schradero et Wernsdorfio necessarium esse putavimus *intra*, quamvis et codex noster et editiones ceterae omnes *inter* habeant. Illud vero spernendum, quod v. 380 Dammius et Kappius scripserunt *unda facit.* Ad *ludendi* verbum illustrandum confert Burmannus Terent. Adelph. 3, 3, 23 *congrum istum maximum in aqua sinito ludere paulisper.* Adde Cicer. in Arateis 328 *exin squamigeri serpentes ludere pisces;* Virg. Aen. 5, 594 *Delphinum similes, qui per maria humida nando Carpathium Libycumque secant luduntque per undas;* Serv. ad Virg. Aen. 8, 632.; Ovid. Met. 3, 685 *inque chori ludunt speciem, lascivaque iactant corpora.*

382. hospite conductor dirior Antiphate. Non satis recte Savaro ad Sidon. Apollin. Ep. 5, 17 *conductorem* interpretatur hospitem sive stabularium, nec id propter hospitem Antiphatem, qui contra ponitur, necesse est. Quamquam hoc potest fuisse, ut Iudaeus ille cum agro etiam tabernam villae eius, quae commemoratur v. 377, conductam haberet. Solebat enim saepe

fieri, ut eae villae, quae ad viam adiacerent, cauponas et tabernas deversorias haberent, in quibus et vinum et ceteri fructus agrorum venirent. Cf. Bekkeri Gallum Tom. I p. 231. Nec tamen hinc colligi licet, quae sententia est Wernsdorfii, agrum illum fuisse publicum. Nam conductores etiam privatarum possessionum fuisse docet Gothofred. ad Theod. Cod. 2, 30, 2. Nihil autem certe aptum est, quod Heinsius emendabat *convictor*. Scripsi deinde *dirior Antiphate*, secutus Drakenborchium ad Sil. Ital. 14, 126. Nec enim certe *durus* erat Antiphates, cum hospites occisos devorabat, sed dirus et saevus et barbarus, atque de eo Sil. Ital. 14, 33 *post diri Antiphatae sceptrum et Cyclopia regna;* idemque 14, 126 *regnatam diro quondam Laestrygone terram*. Antiphatae vero fabulam pete ex Homero Odyss. 10, 80 sqq. et Ovid. Met. 14, 234 sqq.

384. humanis animal dissociale cibis, quia Iudaei carne suilla abstinent, ut Rutilio ne homines quidem esse videantur. Nam plurimum Romani carne suilla utebantur. Quare Aurelianus imperator publice pop. Rom. carnem porcinam distribuit, ut narrat Vopiscus in Aurel. 35 *Aurelianus et porcinam carnem populo Romano distribuit, quae hodieque distribuitur*. Cf. etiam Gothofredum ad. Theod. Cod. 14, 4; Panciroium ad Notit. dignit. Occid. c. 12. Etiam Iuvenal. 14, 98 de Iudaeis: *nec distare putant humana carne suillam*. Tac. Hist. 5, 4. *Dissociale* autem quod est, usitatius erat *dissociabile;* illud haud scio an in latinitate sit ἅπαξ λεγόμενον.

385. pulsatas imputat algas. Heinsius emendat *calcatas computat algas*. Quasi vero alga, quae in stagnis erat, *calcari* i. e pedibus teri potuerit. Nec computatur alga, tamquam ratio quaedam sit, sed recte imputantur frutices ex silva decerpti et alga baculo turbata.

389. radix stultitiae. Quid autem stulti, Ru-

tilii quidem opinione, provenit ex Iudaeis? Christiani, opinor. Nam eos aperte designat versu 395 sqq. Iis sabbata-cordi sunt, frigida illa quidem, quia nihil iis serii agere Iudaeis fas est. Nam, ut ait Sidon. Apoll. Carm. 5, 549 *otia frigus habent*, unde frigora ipsa pigra appellantur constanti epitheto, ut apud Tibull. 1, 2, 29 *non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis*.

391. septima quaeque dies turpi damnata veterno. Idem in Iudaeis vituperari annotant interpretes ab Ovidio Art. am. 1, 415 *quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis culta Palaestino septima festa Syro*; Iuvenal. 14, 105 *cui septima quaeque fuit lux ignava et partem vitae non attigit ullam*. *Veternus* autem proprie est morbus, qui infestat cerebrum et memoriam simul ac rationem aufert inevitabilemque dormiendi necessitatem adducit. Poëtae sic quamvis pigritiam vocant, ut Virg. Georg. 1, 124 *nec torpere gravi passus sua regna veterno*. Quod autem est *turpi-veterno*, accipe ablativo casu. Is enim in deteriore latinitate damnandi verbo non raro additur. Ne de nota illa dicendi formula *votis damnari* dicam, Senec. Ep. 91 *mortalium opera mortalitate damnata sunt*; id. Ep. 71 *humanum genus-morte damnatum est*; id. de vita beat. 23 *nemo sapientiam paupertate damnavit*; Ovid. Met. 3, 335 *aeterna damnavit lumina nocte*; Claud. in Prob. et Olybr. coss. 170 *glacieque niger damnabitur Ister*; idem. Idyll. 4, 17 *loca continuo solis damnata vapore*; Gigantom. 59 *paribus damnata sepulchris*. Apud Lucret. autem 4, 1179 scribendum esse arbitror *stultitiaeque ibi se damnet*, gen. casu, non *stultitia*. Saepe etiam dativus additur, sed apud poëtas tantum, pro praepos. *ad* vel *in*, maxime ubi locus significatur vel loci aliquid simile. Lucret. 6, 1230 *morti* (i. e. *ad mortem*, ut ait Tac. Annal. 16, 21) *damnatus ut esset*; Virg.

Aen. 4, 699 *Stygioque caput damnaverat Orco*; Ovid. art. am. 2, 387 *nec mea vos uni damnat censura puellae*; Sil. Ital. 5, 242 *nisi quem deus ima colentum damnasset Stygiae nocti*; id. 15, 557 *damnavi tumulis Poenorum atque ossibus agros*; id. 15, 76 *degeneres animas tenebris damnavit Avernis*; Claud. in Prob. et Olybr. coss. 43 *nec tenebris damnavit opes*; id. in Ruf. 395 *altorumque exul nemorum damnatur arenae muneribus* i. e. ad bestias; id. rapt. Proserp. 3, 212 *de matre queri, quae tale recessu* (i. e. recessui, ad recessum) *maluerit damnare decus*. Cf. Ruddimann. Institut. gramm. lat. II p. 166.

393. mendacis catastae. Catasta pulpitum est, in quo servi venales prostant, qua in re notum est multa fieri mendacia et mangonum et servorum ipsorum. Itaque hic suggestum illum, unde, qui Iudaeorum ac Christianorum sacris praesunt, diebus festis concionari solent, contumeliose catastam nominare videtur. Sic enim cum Burmanno interpretari malo, quam Dammium Wernsdorfiumque secutus catastam intelligere hominem catasta i. e. servitute dignum, servilis ingenii, quae significatio nusquam reperiri videtur.

394. nec pueros omnes i. e. ne puerum quidem ullum, ut meliores scriptores dicunt. Et hoc quidem, quod est *nec* pro eo, quod est *ne-quidem*, huic aetati commune esse docuit Madvigius in Excursu III ad Ciceron. de fin. Sic infra v. 446 *nec bona posse pati*. Illud vero insolitum, quod *pueros omnes* dixit. Imitatur autem h. l. Iuvenal. 2, 152 *nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur*.

398. victoresque suos natio victa premit. Apte Barthius confert, quod Horatius ait de Romanis Ep. 2, 1, 56 *Graecia capta ferum victorem cepit*. Paulo ante, quod est *excisae pestis*, minuit vim sententiae Dammius, cum *excisae gentis* edidit.

399. adversus surgit Boreas. Virgilii est imitatio, qui ventos flare incipientes surgere dicit Aen. 3, 130 *prosequitur surgens a puppi ventus euntes;* ibidemque 3, 481 *et fando surgentes demoror austros,* quem locum Avianus fab. 16 imitatus est: *ast ego surgentes paulatim demoror austros.* Nec tamen ideo etiam id, quod insequitur remis surgere certamus, expressum credo Dammio et Wernsdorfio ex iis, quae sunt apud Virgil. 3, 207 *vela cadunt, remis insurgimus: haud mora, nautae annixi torquent spumas et caerula verrunt;* ibidemque 3, 560 *pariterque insurgite remis;* Valeriumque, Virgilii imitatorem, 2, 13 *remis insurgitur,* quod ad nautas in remos incumbentes pertinet, qui, ut ait Lucan. 3, 543, *in transtra cadunt et remis pectora pulsant.* Est enim hic *surgere remis* remigando in mare provehi ex statione. Nam differt surgere et insurgere. Simul autem pro eo quod est, cum tegit, scripserunt *dum tegit,* necessario illi quidem, ut tam diu portam navigasse significarent, quam lux esset. Ego vero tueor, quod in codice est. Paulo enim ante meridiem Faleriam appulsus aliquotque ibi horas versatus vergente iam die ad occasum abiit proximeque sitam Populoniam petiit, ut non sine causa addat diem astra texisse, cum abiret, eadem locutione usus, qua Lucan. 8, 202 *ostendit Titan terras et sidera texit.*

401. proxima Populonia sive Populonium sive Populonii, urbs Etruriae, antiquissimis temporibus satis magna ac potens, siquidem de ea Virg. Aen. 10, 173 *sexcentos illi dederat Populonia mater expertos belli iuvenes.* Neque sub Romanorum imperio minuebatur, dum bello Sullano ex proscriptis nonnulli eo confugerunt strenueque se defenderunt, quo tempore maxima pars urbis diruta esse videtur. Nam Strabo 5, 2, 6 de ea sic ait: τὸ Ποπλώνιον ἐπ' ἄκρας ὑψηλῆς ἵδρυται παρῤῥωγυίας ἐς τὴν θάλασσαν καὶ χῤῥονησιζούσης. Τὸ μὲν

οὖν πολίχνιον κἂν ἔρημόν ἐστι πλὴν τῶν ἱερῶν καὶ κατοικιῶν ὀλίγων, τὸ δ' ἐκεῖνιον οἰκεῖται βέλτιον πρὸς τῇ ῥίζῃ τοῦ ὄρους λιμένιον ἔχον. Naque quam Rutilius hic Populoniam vocat, navale proprie urbis erat (nec enim ipsa post restituta est), quod hodie quoque incolitur (porto Baratto). Portus autem perexiguus est, ut Italus quidam non multo eum maiorem esse dicat quam forum sanctae Crucis Florentiae (vide Targion. Tozzett. Tom. IV p. 265), sed securus tamen, quia in sinu maris est, quem litus longe in terram recedens efficit, quare poëta naturalem dicit. Quod autem v. 407 castellum dicitur, antiquitus urbs ipsa erat, quam castello munitam fuisse Strabo l. l. significat. Atque qui hodie eas regiones viserunt, moenia, quae supersint, ex ingentibus saxis quadratis constare narrant, simillima operi Cyclopio, quod Volaterris sit. Ad Etrusca igitur prisca tempora, quibus Populonia una ex duodecim foederatis urbibus Etruriae erat, refero, quod Rutilius v. 403 *vetustatem* et v. 409 *aevum prius* dicit et *grandia* moenia vocari puto, quae saxo illo quadrato extructa sint. Cf. Targion. Tozzett. l. l.; C. O. Müller. Etruscis.

408. praesidium terris indiciumque fretis, ut id castellum urbem defenderet et ab hostibus, et, dum procul ex mari conspicitur, navium cursus regeret. Illud explicat Strabo 5, 2, 6, qui de urbibus Italicis ad mare sitis sic narrat: οἱ κτίσται προεβάλλοντο ἐρύματα πρὸς αὐτῆς (τῆς θαλάττης), ὥστε μὴ λάφυραν ἐκκεῖσθαι τοῖς ἐκπλεύσασιν. De altero ignotum fuisse significat priscis illis temporibus, pharo uti, i. e. turri ad cursus navium etiam noctu regendos ignibus instructa, qualis Alexandriae fuit, a qua, ut scribit Solinus 32, *machinae in portubus ad praelucendi ministerium aedificatae phari deinceps apud omnes gentes appellari coeptae sunt.* Hoc illis suffecisse ait, ut interdiu naves haberent, quod sequerentur.

412. ruderibus latis i. e. late patentibus, ut Virg. Aen. 8, 8 *undique cogunt auxilia et latos vastant cultoribus agros;* id. Georg. 4, 522 *discerptum latos iuvenem sparsere per agros;* Ovid. Met. 10, 477 *latosque vagata per agros.* Itaque non opus est eo, quod Barthio ac Dammio auctoribus ediderunt omnes *ruderibus late,* nec eo, quod Kappius coniiciebat *ruderibusque altis,* quod ne aptum quidem est, quoniam rudera sunt, quae iacent, non quae stant atque in altum eriguntur.

413. non indignemur sqq. Eandem sententiam expressit Auson. Epigr. 35, 9 *miremur periisse homines? monumenta fatiscunt; mors etiam, saxis nominibusque venit;* similiaque sunt apud Servium ad Ciceronem (Ep. 4, 5, 4) *hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iaceant?* Quos locos cum comparasset Castalio, non sufficiebat sententiae similitudo; ut verba etiam exprimerentur, Dammius ceterique scripserunt *nos indignemur-solvi?*, Heinsius vero *neve indignemur.* Cf. ad v. 32 et 259.

415. crebrescit fama i. e. frequens esse coepit in auribus nostris. Verbum est Virgilianum, usurpatum deinde a Tacito, ut Hist. 4, 12 *crebrescit fama cladis Germanicae,* ceterisque eiusdem aetatis scriptoribus. Quod autem v. 418 *delatam* esse ait praefecturam urbis Rufio, ne de ipso munere iam inito accipi possit, facit Theod. Cod. 14, 10, 4, quae lex prid. Id. Dec. a. 416 ab Honorio ad Probianum quendam, praefectum urbi, data est. Designatum igitur puto Rufium ad praefecturam, quam post demum gessit. Paulo post quod codicem secuti scripsimus *cognoscimus,* rectius videtur esse, quam quod antea vulgabatur *cognovimus.* Utendum enim est eo tempore, quod constanter hoc loco posuit.

419. verum nomen i. e. Volusiani, quod cum tres primas syllabas corripiat, cum hexametro non convenit. Dicit enim de Ceionio Rufio Volusiano, de quo supra ad v. 167 explicatum est. Quod Castalio emendabat *veterum nomen* i. e. a veteribus, a veterum stirpe repetendum, falsum esse apparet.

421. Veneris, carissime Rufi. Hoc debet dicere: cum nomen tuum verum, quamvis velim, non possit illud quidem versu hoc comprehendi, cognomen tamen convenit cum versu, atque eo te dudum cano. Verba ipsa tamen, quae nunc quidem leguntur, intelligi nequeunt. Itaque Pithoeus coniiciebat *Veneri carissime Rufi* atque sic edidit Burmannus, Castalio *versans* (i. e. saepe commemorans) *Veneris, carissime Rufi*, Barthius et Schraderus *serva Veneri*. Alii pentametrum emendabant, Burmannus *nullo conclusum* (sive *non ullo clausum*) *pagina nostra capit*, Heinsius in epistola ad Graevium in Syllog. Epistolarum T. IV p. 381 pro eo, quod est *illo te*, *illoto* i. e. rudi et rustico, deinde *invito*, eadem fere sententia, qua *invita Minerva* dicitur. At enim mendi sedes posita est in voce *Veneris*. Quod enim aiunt Veneri carissimum fuisse Rufium, ineptum est, neque Venerium vocatum esse Rufium, ut *Veneri Rufi* vocativo casu coniungatur, aut demonstrari potest aut est verisimile. Ab tota enim Rufii gente Venerii cognomen alienum fuisse demonstravimus in Observat. §. XXI. Recte igitur intellecto eo, quod emendandum esset, non recte tamen Heinsius in ead. Sylloge p. 387 coniiciebat *a teneris carissime Rufi*, nec Dammius et Kappius *cognomen versus servet, carissime Rufi*. Nec Wernsdorfius mihi probavit *cognomen versu veniat, carissime Rufi* i. e. cognomen in versum recipiatur, quoniam *versu* nec pro dativo satis recte accipi potest nec pro ablativo. Quare in contextu nihil malui equidem mutare, quam edere, quod non verum esse appareret.

Din

Diu tamen ac saepe re pensitata sic scriptum fuisse mihi persuasi *cognomen versu tuleris, carissime Rufi.* Similem autem querelam de nomine Tuticani cum hexametri mensura non conveniente vide apud Ovid. ex Ponto 4, 12.

422. dudum i. e. v. 168. Est enim idem ille *Rufius, Albini gloria viva patris* etc. Quod autem veteres editores ex hoc versu collegerunt, totum hoc carmen Venerio, quem vocabant, Rufio dedicatum esse vel codicis nostri inscriptio, in qua tale nihil est, refutare poterat. Cf. Observat. §. XXX extr.

423. festa dies-colat. Festus erat dies, quo Rufius Volusianus delatam sibi praefecturam adiit, propter salutantium ac gratulantium frequentiam. Nam amici, qui poterant, ipsi mane salutabant, ceteri per epistolas gratulabantur, ut Symmachus Messalae praetorii praefecturam adepto ep. 91 libr. 7. Ab iisdem munuscula mittebantur, diptycha et apophoretica, vide Symmach. Ep. 9, 119. Nec vero accipiebant solum, sed mittebant etiam munuscula, qui provecti erant ad aliquam dignitatem, ut Symmach. Ep. 2, 81 narrat, filium suum, cum quaestoris munus adisset, amicos suos pugillaribus eburneis et canistellis argenteis honorasse, atque ipsi adeo principi diptychum auro circumdatum obtulisse. Idemque Symmach. Ep. 9, 134 ad amicum quendam se ei solidum unum scribit pro sportula consulatus sui, quem anno 391 gessit, tamquam sollemnia sui officii libamina mittere. Vide copiose de hac re disserentem Gothofred. ad Theod. Cod. 15, 9, 1. Vota autem secunda sunt ea, quae pro felici administratione praefecturae urbis concipiuntur a Rufio, qui est alter quasi Rutilius; nam amico provecto poëta sibi ipse iterum esse provectus videtur.

425. virides rami ornamento adhiberi solent *postibus coronatis*, de quibus modo dixit, diebus festis. Vide Lipsium ad Tac. Annal. 3, 9. Addo Senec. Thyest. 54

ornetur altum columen et lauro fores laetae virescant; Prudent. in Symmach. 2, 726 *quos spargam flores, quibus insertabo coronis atria?*, Coripp. de laud. Iust. 3, 62 *totam plebs laeta per urbem sacra coronatis ornavit moenia tectis: pratorum spoliatur honos, nemus omne refertum frugibus et glaucae frondes rapiuntur olivae. Exornant postes et arundine limina comunt.* In codice autem nostro, quod est emendatum *exornent*, tuetur consensus editionis principis.

426. provecta est i. e. aucta et honorata, ut Plin. Ep. 8, 12 *colit studia, studiosos amat, fovet, provehit;* Tac. Histor. 1, 1 *dignitatem nostram a Domitiano longius provectam non abnuerim.* Plerumque enim addi solet, quo quis provehatur. Formulae autem amicae animae portio magna meae, qua deinde Rufinum appellat, similis est v. 493 *Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis.* Solent veteres ita animam cum amicis communicare. Ovid. ex Ponto 1, 8, 2 *accipe, pars animae magna, Severe, meae,* Horat. Carm. 2, 17, 5 *te meae si partem animae rapit maturior vis;* id. Carm. 1, 3, 7 *animae dimidium meae.* Portionem vitae nominant deteriores auctores, ut Symmach. Ep. 3, 66 *si nosse dignaris, quanta sit in domino Flaviano pectoris mei portio;* Sidon. Apoll. Carm. 21, 4 *namque animae nostrae portio maior eras.*

428. rursus honore fruor. Haud dubie significat, spem sibi fuisse, iterum praefecturam urbis adipiscendi, qua depulsus est, sive quia gentilium sacra sequebatur, sive aliam ob causam. Cf. Observat. p. 28. Scripsi autem codicem secutus *fruor*, non *fruar*, quod antea vulgabatur. Iam enim iterum sibi frui videtur animo Rutilius amici dignitate.

429. currere curamus velis. Supra v. 399, cum ex portu Faleriae abiret, se propter Boream ad-

versum remis usum esse dixerat et *certasse* surgere; hic eodem Borea, a quo Aquilo nihil differt, reverso velis se processisse ait. Ideo Heinsius emendabat *currere certamus* vel *currere conamur*, quibus non opus est. Ipsum enim curandi verbum significat, non facile, sed curae ac laboris fuisse velis uti. Eous autem, cuius *roseum equum* commemorat (cf. infra v. 511) est Lucifer, ut apud Virgil. Georg. 1, 288 *aut cum sole novo terras irrorat Eous;* Sil. Ital. 9, 180 *conscia nox sceleris roseo cedebat Eoo;* eundem 11, 517; Auson. Ephem. 12.

431. incipit obscuros-levat. Imitatus est Virgilium Aen. 3, 522 *iamque rubescebat stellis Aurora fugatis, cum procul obscuros colles humilemque videmus Italiam. Obscuri* igitur montes sunt, quia procul absunt nec certo dignoscuntur; *concolor* autem umbra, i. e. quae parem colorem cum capite montium Corsicanorum nubibus circumdato habet, *levat caput* montium i. e. sublime ostendit, facit, ut altiores etiam montes videantur, quam revera sunt, contra ac Virgilius l. l. *humilem videmus Italiam.* Non recte Dammius concolorem umbram putat esse eam, quae unius coloris sit, in qua nihil discerni possit, id quod constans usus vocabuli non patitur. *Nubiferum* autem *caput* sumpsit ex Virgil. Aen. 4, 248 *Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris piniferum caput*, ex quo expresserat Sil. Ital. 1, 203 *sidera nubiferum fulcit caput.* Atque idem 4, 2 *nubiferos montes;* Claudian. Stilich. 3, 307 *nubiferas Alpes Apenninique recessus*, qui hoc quidem sumpserat ex Ovid. Met. 2, 226 *aëriaeque Alpes et nubifer Apenninus.*

433. sic dubitanda solet sqq. Rursus petiit a Virgil. Aen. 6, 452 *agnovitque per umbram obscuram, qualem primo qui surgere mense aut videt aut vidisse putat per nubila lunam*, quae imitatus est etiam Claud. Idyll. 1, 37 *qualis cum forte tene-*

tur nubibus et tenui vanescit Cynthia cornu. Etiam Ovid. Met. 2, 226 *cornuaque extremae velut evanescere lunae. Dubitanda* igitur luna est, cuius cornu est tam exile, ut dubitare possis, viderisne an non videris, ut in stella Claud. IV Hon. 184 *visa etiam medio populis mirantibus audax stella die, dubitanda nihil.* Ea luna, etiamsi reperta est, latet tamen i. e. non certo dici potest, visa sit nec ne, in quo acumen quoddam quaerit poëta, ut illud, quod quibusdam placuisse ait Castalio *repente latet*, nec opus sit, nec aptum esse videatur.

435. haec ponti brevitas auxit mendacia famae i. e. fecit, ut falsa fama videretur verisimilis. Pervertit sententiam loci Castalio, cum emendat *fama.* Quasi vero illa ponti brevitas fabularum numerum hac de Corsica insula auxerit. Brevitas autem illa ponti tanta erat, ut adeo ab ipso litore Populoniensi insulam conspici posse Strabo 5, 2, 7 narret. Fama autem haec ferebat, feminam aliquam Ligurem, bubulci servam, quae Corsa dicebatur, cum aliquotiens bovem de armento suo mare transnare auctoque corpore redire animadvertisset, coniecisse, pecus in insulam fertilem traiicere, indicioque facto Liguribus auctorem fuisse, ut Corsica inveniretur et ab ipsa nominaretur. Vide Isidor. Orig. 14, 6 et Eustath. ad Dionys. Perieg. 458. Ad illud autem, quod est proximo versu natasse, supple *pontum;* nam videtur hoc fieri posse, ut accusativus addatur natandi verbo. Certe passive dicitur apud Ovid. Trist. 5, 1, 23 *quot piscibus unda natatur;* eund. de art. amand. 1, 48; Martial. 4, 30, 3 *sacris piscibus hae natantur undae.* Corsica autem cum a Graecis semper, a poëtis latinis nonnunquam appelletur Κύρνος (Plin. nat. hist. 3, 12; in Epigrammatis, quae Senecae ascribuntur, ante Consol. ad Helv. I; Claud. de Fl. Mallio Theod. 203; id. de bello Get. 218; Priscian. Perieges. 470) sive *Cyrne,* ut scribendum

esse videtur apud Serv. ad Virg. Eclog. 9, 30, adiectivum quoque graecum invenitur *Cyrnaeus*, ut apud Virg. Bucol. 9, 30 vulgo leguntur *Cyrnei taxi*, rectius *Cyrnaei*. Non est enim, ut ait Heynius, Κύρνιος, sed Κυρναῖος, Steph. Byz. auctore. Atque ita editur in Epigr. Senec. de exilio suo 6 *at mea Cyrnaeae saxis telluris adhaerens mens tecum est*, edendum est apud Claud. de Stilich. 3, 314 *Cyrnaeis Siculisque iugis*. Cf. infra ad v. 516.

439. processu pelagi i. e. postquam processimus in pelago, Capraria sive Caprasia, hodie Capraia, graece Αἴγιλον, conspicitur, quae sita est adversa litori Populoniensi. Eam a capreis feris, quas plurimas alebat, vocatam esse et nomen ipsum indicat et testatur Varro de re rustic. 2, 3. Quod Rutilius narrat insulam refertam fuisse monachorum multitudine, confirmat Orosius 7, 36, qui Mascezilem, ducem belli Gildonici, quo maiore cum fiducia rem gereret, inde sanctissimos aliquot servos dei secum duxisse ait. Ibidemque monachos commemorat Sanct. Gregor. Epist. 4, 60 et Augustini ep. 48 data est ad Eudoxium, eorum abbatem. Squalere autem ait insulam, quia monachis, sordidis atque otiosis hominibus, referta est. Hoc enim valet *squalere*, refertum esse rebus sordidis ac tetris, nec Wernsdorfium probo, qui squalere h. l. explicat incultam, sentibus ac dumis obsitam iacere (nam herbas, quibus monachorum multitudo ali posset, certe ferebat), nec totam verbi sententiam assecutus est Salmasius ad Tertull. de pallio p. 69, qui squalere ad solas monachorum sordes refert.

441. monachos Graio cognomine sive nomine, ut Virg. Aen. 3, 163 *est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt*; id. 8, 48 *Ascanius clari condet cognominis Albam*; Propert. 5, 1, 69 *sacra diesque canam et cognomina prisca locorum*; Claud. in Eutrop. 2, 242 *gens una fuere tot quondam populi*,

priscum cognomen et unum; id. bell. Get. 555 *pervenit ad fluvium miri cognominis Urbem.* Atque *cognomentum* saepe pro ipso nomine apud Tacitum invenitur.

443. munera fortunae metuunt i. e. uti fortunae muneribus nolunt, dum verentur damna animorum, in quae fortunati solent incidere, ne quod sanctitatis detrimentum fortunae afferant.

444. quisquam sponte miser. Sensus est: estne verum, estne credibile quemquam sponte sua miserum esse, ne forte miser fiat? Haeserunt tamen partim in defectu verbi substantivi, partim in particulae defectu. Burmannus cum Almeloveenium secutus edidisset *quisquam est sponte*, in notis emendabat *quis fit* vel *quisnam est*, quod utrumque sententiam negativam huic loco aptissimam pessumdat Heinsius coniiciebat *quisquam an sponte*, parum recta sententia, quoniam cum modo dixerit, esse aliquos, qui munera fortunae metuant, sequi nequit: *an* quisquam est miser?, Crusius in Probab. crit. p. 60 *quisque est sponte* i. e. omnes monachi sponte miseri sunt. Quaeritur igitur, num sint loci, ubi *quisquam est?* pro eo, quod debuerat esse quisquam*ne* est?, dicatur. Sic sane est apud Virg. Aen. 10, 65 *Aenean hominum quisquam divomque subegit bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?;* Ovid. ad Liviam 7 *et quisquam leges audet tibi dicere flendi? et quisquam lacrimas temperat ore tuas?;* eund. remed. 523 *et quisquam praecepta potest mea dura vocare?;* eund. Amor. 3, 3, 33 *et quisquam pia tura focis imponere curet?* Similia autem sententiarum acumina, ac quo hic poëta usus est, interpretes attulerunt ex Martial. 2, 80 *hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori;* Claud. de Stilich. 1, 341 *ne timeare, times.*

446. nec bona i. e. ne bona quidem, ut supra v. 394 *nec pueros omnes.* Stulti sunt monachi, quia,

dum, quae in vita mala sunt, timent, ne quae bona quidem in ea sunt, admittere, ferre volunt, sed in solitudinem secedunt. Nam *pati* est aequo animo ferre, quod datur, nec insolenter se gerere in fruendo. Ut Plaut. Asin. 2, 2, 58 *fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.* Quod Burmannus, ut erat tritissimi cuiusque dicendi generis amator, corrupit, aut *tot mala* corrigens, aut *nec bona* interpretans mala, id quod poëta iam antea dixerat.

447. sive suas-poenas. Monachi ita agunt, sive quia scelera sua luunt, sive quia insaniae morbo laborant. Ergastula illos dicit tamquam homines servilis ingenii poenam facinorum luentes, sed eam sibi ipsi imponunt ex fato, i. e. aeterna lege, secundum quam mala malis rependuntur. De ergastulis pro ipsis mancipiis vide Florum 4, 8, 1 *cum insuper ergastula armasset;* Iuvenal. 14, 24 *quem mire afficiunt inscripta ergastula.* Sic omnia concinunt: noli autem ergastula dicta putare cum Wernsdorfio pro aerumnis, neve fatum h. l. providentiam divinam explica.

448. nigro felle. In eo morbi, quem μελαγχολίαν appellant, sedem esse docet Plin. nat. hist. 11, 37 (75) *sed in felle nigro insaniae causa homini. Hinc et in mores crimen, bilis nomine;* Cic. Tuscul. 3, 5, 11 *quem nos furorem,* μελαγχολίαν *illi vocant, quasi vero atra bili solum mens, ac non saepe vel iracundia-graviore moveatur.* In iis autem, quae insequuntur, significantur, quae apud Hom. Il. 6, 200 sunt de Bellerophonte:

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ κεῖνος ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν,
ἤτοι ὁ κὰκ πεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
ὃν θυμὸν κατέδων, κάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων,

quorum extremam partem Cicero Tuscul disput. 3, 26 ita vertit:

Qui miser in campis moerens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Homerus non nominat ille quidem atram bilem, sed Rutilius illud, quod ait ὃν θυμὸν κατέδων, κάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων, philosophans interpretatur morbum atrae bilis, eodemque exemplo Bellerophontis in Paullino, qui secesserat, utitur Auson. Ep. 25, 70 *ceu dicitur olim mentis inops coetus hominum et vestigia vitans avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes*, quem locum citat Castalio. Pentametrum vero Bellerophonteis sollicitudinibus recte videtur Barthius ad Claud. Hon. 4, 560 dicere unum reperiri in tota latinitate ex duabus vocibus constantem.

451. saevi post tela doloris, post mortem liberorum, quam causam ei tristitiae fuisse Homerus significat, cum alii narrent alias. *Tela* autem dolori tribuit, quia is animum ferit quasi ac vulnerat, quemadmodum Cicero Ep. 5, 16 *fortunae* adeo *tela* dedit.

453. Volaterranum, vero Vada nomine, tractum. In eam partem maris se venisse ait, quae agrum Volaterranum alluat. Qua in parte paululum ultra fluviolum Caecinam duo loci vadosi sunt, arenae tenui aquae superficie tectae refertaeque alga aliisque plantis marinis, ita quidem, ut exiguae tantum cymbae, et ne hae quidem nisi tranquillo mari, quo solum, antequam ingrediare, explorare possis, eas superare possint. In mediis tamen his vadis, ubi mare paulo altius, portus est propter ipsa haec vada tutus, qui hodie quoque dicitur porto di Vada. Prope eum portum hodie turris est, medio aevo ad praesidium extructa, statioque militum, antiquitus oppidum fuisse colligi licet ex Ciceron. p. Quint. 6, Plin. nat. hist. 3, (5), 8 et ex tabulis itinerariis. De quo quia nihil dicit Rutilius, num illo tempore extiterit, incertum est, sed visendi tamen ac commemorandi nulla vel necessitas vel occasio fuit, quod Albini hospitio se exceptum esse v. 466 narrat. Quod autem a nautis ad iter per vada illa designandum institutum esse poëta

narrat, non referunt, qui ea loca viserunt, hodie quoque servari, sed cum parvis cymbis per vada haec navigaret, summa cum diligentia despectasse se solumque, antequam accederet, examinasse tradit Targionius Tozzettius in itiner. Etrusc. Tom. IV p. 414. Itaque Rutilius dubii, inquit, tramitis alta lego i. e. mediam partem dubii tramitis per vada ducentis sequor, quae satis alta et profunda est, ut naves ea uti possint. Nec enim credo Dammio sic interpretanti: *lego alta* i. e. navigo per mare *dubii tramitis*, ubi iter est valde incertum. *Legere* autem est sequi aliquid, continere se euntem aliquo loco, ut in mari dixit Ovid. Fast. 4, 289 *aequoraque Afra legit Sardoaque regna sinistris prospicit a remis;* ibid. 4, 566 *Ioniumque rapax Icariumque legit;* Virg. Aen. 3, 127 *crebris legimus freta consita terris*, idemque 3, 706 de vadis *et vada dura legò saxis Lilybeia caecis.* Frequentia vero illa, quae his non dissimilia, *legere vestigia*, *legere arva.*

455. prorae custos sive proreta, cuius voci monenti obtemperat, qui clavo praeest, gubernator. Is enim diversus a proreta. Quod autem Barthius coniecit, edidit Dammius, *dispectat*, nec aptum, quia dispectatur, quod in manus sumitur, et levissimae est auctoritatis, siquidem apud solum Arnobium legi videtur.

457. incertas gemina-sudes. Sic Castalionem ceterosque editores secutus scripsi, cum in codice et in editione principe vitiose sit *incertus gemina-fauces*, quod non recte emendabat Barthius *insertus-limes.* Modo enim fuerat *dubii tramitis.* Itaque *fauces* i. e. spatium illud navium patiens, incertae sunt; *limes* i. e. ipse terminus, qui vada distinguit, si esset incertus, navigari omnino non posset. Fauces autem ut certae fierent, utrimque (quamquam non opus est eo, quod quidam in Miscell. Observat. III, 3 p. 367 et Schraderus malebant *limes utrimque)* sudes erant *defixae*, quibus rami annexi arborum speciem praebebant. Sic

enim intelligo, quod ait primum *gemina arbore* et deinde ipse particula *que* explicat *sudes*, quibus annexae sint *lauri*. Cur autem potissimum lauri? Quia sunt *fruticante coma* conspicuae. In laureis enim ramis idem videtur accidere, quod in salicibus fieri constat, ut, quamvis ab arbore decerpti sint, virescant tamen novasque frondes emittant. Nam quod Dammius et Wernsdorfius *fruticans* interpretantur *frondibus viridibus et densis*, falso huc eam notionem transferunt, quae est in adiectivo *fruticosus*, ut *rami fruticosiores* sunt apud Plin. nat. hist. 20, 51 et *vimina fruticosa* apud Ovid. Met. 6, 344.

461. ut praebente viam densi symplegade limi. Symplegades proprie duae insulae sunt, contra Bosporum Thracium, eaedem Cyaneae vocatae, quas inter se concurrere fabula erat. Vide Plin. nat. hist. 4, (13) 27; Mart. 2, 7. Nec absimili ratione in re obscena inveniuntur apud eundem Mart. 11, 99, 5 et Auson. epigr. 108, 9. Quare quod antea vulgabatur *praebente algam densi symplegade limi*, non recte a Dammio Wernsdorfioque explicabatur de complexione et cohaesione limi, qui aestu aut vento congestus ad sudes se applicaret. Sed limitem utrumque denso limo circumdatum, qui undis marinis motus concurrere quasi videtur, cum symplegade comparat; itaque optimum est, quod in codice nostro invenitur *praebente viam*, ut ne eo quidem opus sit, quod ipse aliquando in Observat. p. 110 conieci *symplegmate limi*. In contextum autem irrepserat, quod explicans voci *limi* ascripserat aliquis *algam*. Quod Wernsdorfio aliquando h. l. videbatur corrigendum esse *et-servat* pro eo, quod est *ut-servet*, eo pessumdatur elegans horum versum cohaerentia.

462. inoffensas-notas, quae non offenduntur a navibus, quia rami, cum depressi sunt, rursus emergunt. Non recte Wernsdorfius explicat *nulla of-*

fensione vel incursione navis laedendas aut turbandas, nec conferendus erat v. 538 *alga molliter offensae non nocitura rati*, quasi inoffensum sit, quod non offendat, ac non, quod non offendatur. Nec debuerat idem probare, quod in notis Burmannianis errore est *inoffensas-vias*. Nam semita certe vias habere nequit.

463. rapidus-Corus, quem eundem Zephyrum sive Argesten vocant, ab occasu solstitiali flat. De eo Plin. nat. hist. 2, 47 *cum hoc* (i. e. aequinoctio auctumni) *Corus incipit. Corus auctumnat, huic est contrarius Vulturnus*. Idem paulo post Corum siccum esse ait, sed grandines apportare, quare apud Senec. est Hippolyt. 1130 *imbriferumque Corum*. Quod versu insequenti est *frangere lustra*, Virgilius silvas frangi ait Georg. 2, 441 *silvae, quas animosi Euri assidua franguntque feruntque*.

466. Albini. Est Caecina Decius Acinatius Albinus, filius, ut videtur, Caecinae Decii Albini, qui anno 402 urbi praefuit, nepos Caecinae Albini, quem Macrobius in Saturnalibus disputantem facit. Florebat autem maximis honoribus. Etenim praeter hanc urbis praefecturam iterum videtur praefectus urbi fuisse anno 426 (Theod. Cod. 5, 1, 7), praetorio autem praefectus anno 443 per triennium, iterumque anno 447; idemque anno 444 consul, triennio post patricius factus est. Cf. Ritter. ad Novell. Theod. Cod. 1, 22. Hic autem Rutilius eum sibi in urbis praefectura successisse ait; nam illa, quae sunt *subiungi honori* et *continuari iura*, nisi de eo, qui proximus succedit, dici nequeunt. Atque in Theod. Cod. 13, 5, 58 a. d. XV Cal. Octobr. ad eum praefectum urbi lex data est eiusdemque praefecturae mentio fit in inscriptionibus apud Murat. p. 466, 3 et Grut. p. 286, 7; atque Olympiodorus (script. hist. Byzant. ed. Bonn. Tom. 1. p. 458) eundem, cum urbi praeesset, de re annonaria cum impera-

tore egisse ait. Vide Observat. §. XXIII; O. Müller. Etruscis Vol. I extr. Ut autem praefectum urbi fuisse significet, qui et senatui et iudiciis praeerat (cf. supra ad v. 158 et 159), per eum iura togae suae continuata esse ait. Toga enim cum dudum homines alia veste uti coepissent, indui iubet senatores et in senatu et in iudiciis Theodosius anno 382 ea lege, quae extat in Theod. Cod. 14, 10, 1. Quare *toga* ipsum aliquando senatum significat, ut Claud. de laud. Stilich. 1, 330 *decretoque togae felix legionibus iret tessera;* id. IV cons. Hon. 598 *adfuit ipsa suis ales Victoria templis, Romanae tutela togae,* aut forum remque iudiciariam, ut Auson. Prof. 17, 7 *Palladiae primum toga te venerata Tolosae;* Symmach. Ep. 9, 31 *et qui togae amicus es, cuius laude supra alios splenduisti;* Sidon. Apoll. Carm. 3, 7 *bibliothecarum medius vel togarum.* Cf. Savaro ad Sidon. Apoll. Ep. 2, 13 init. Atque Statius Silv. 1, 4, 23 de praefecto praetorio: *docto neque enim sine numine tantus Ausoniae decora ampla togae centumque dedisti iudicium mentemque viris.*

470. vitae flore puer. Cf. supra ad v. 173. Confert Wernsdorfius Sil. Ital. 8, 466 *ora puer puerique habitu, sed corde sagaci aequabat senium atque astu superaverat annos.* Quod autem antecedit non expectatos pensavit laudibus annos, sic explicat recte Dammius: quantum deerat annis eius, cum provectior aetas non esset expectata ad honores ei mandandos, tantum sibi adiecit aestimationis per facta laudabilia, supplevit defectum annorum suorum artibus ac virtutibus egregiis.

473. praetulit ille meas-habenas. Non sequor Dammium et Wernsdorfium, qui *praetulisse* Albinum Rutilii *habenas* sic explicant, prae suis eum laudasse ac praedicasse eius magistratus, quem poëta gesserat, rationes et acta. Nec enim aut praeferre, nisi

quid addatur, est extollere sermonibus, aut vincere idem, quod detrahere de aliqua re. Barthium igitur sequi malo, qui Albinum ait, cum posset esse superior atque ipse Rutilii loco fieri praefectus urbi, maluisse cedere quam cum amico contendere, ut Rutilius potius praefecturam adipisceretur, quam ipse. Nam quod supra ad v. 428 observavimus, Rutilium, cum vellet iterum praefici urbi nec esset praefectus, parum videri imperatoris gratia floruisse, idem hic significari puto. In iis autem, quae insequuntur at decessoris maior amore fuit, i. e. tantum autem abfuit, ut noceret ei ille amor decessoris, ut eo laudem mereret, vide vero in his, quomodo codicis nostri auctoritas maculam aliquam demat Rutilio. Vulgabatur enim antea *praedecessoris*, quod vocabulum est deterioris latinitatis, ut est apud Symmach. Ep. 10, 55 *cognitio et relatio viri illustris, praedecessoris mei.* In codice autem est *ad decessoris*, quod cum parum intelligeretur, supra scriptae sunt tres literae *nte* i. e. *antecessoris*, pro quo alius quidam, ut metrum restitueret, consuetum sibi vocabulum *praedecessoris* scripsit. Vs. 471 germani mores sunt, qui ex eadem quasi stirpe provenerunt, quales inter fratres germanos esse solent, notabili adiectivi *germanus* significatione.

475. subiectas villae-salinas deinde palude salsa constare ait. Sine dubio sunt eo loco, quo hodie quoque palus quaedam est, cui vulgo ipsum hoc nomen Padule datur, mille fere passibus a Caecina flumine. Hodie quidem ibi non amplius salinae sunt, sed fuisse aliquando usque ad annum 754, dimidiamque earum partem ad monasterium quoddam eius regionis pertinuisse demonstrat Targion. Tozzett. in libro saepius laudato Tom. IV p. 426. Eandem autem prorsus salinarum rationem, quam Rutilius hic describit, explicant Manil. Astron. 5, 682 sqq. et Plin. nat. hist. 31 (7) 39.

476. hoc censetur nomine i. e. propterea magni aestimatur, propterea nobilis est. Nam censeri aliqua re apud deterioris aetatis scriptores est censum vel pretium suum constitutum habere in aliqua re. Senec. Ep. 76 *id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur;* Sueton. Grammat. 10 *Eratosthenes multiplici variaque doctrina censebatur;* Plin. nat. hist. 36, (4), 5, 2 *non vitibus tantum censeri Chium, sed et operibus Anthermi filiorum;* Valer. Max. 8, 7 extern. 4 *Democritus cum divitiis censeri posset;* id. 5, 3 extern. 3 *Aristides, quo totius Graeciae iustitia censetur;* Martial. 9, 17, 5 *felix, quae tali censetur munere tellus;* Claud. laud. Seren. 66 *nec laude virorum censeri contenta fuit.* Alia exempla vide apud Schwartzium ad Plin. Panegyr. 15, 5, ubi sic est: *hic te commilitone censetur*, et apud Gothofred. in Gloss. Nom. Theod. Cod. s. v. censere. Itaque etiam nomine aliquo censeri dixit Valer. Max. 8, 7 extern. 2 Pythagoras *quo cognomine censeretur, interrogatus* - φιλόσοφον *esse respondit;* Appulei. Met. 5 *et nomen, quo tu censeris, aiebat.*

479. Sirius, stella in ore maioris canis, quo circa solstitii tempus orto solis aestum excitari veteres putabant, quare Ovid. Fast. 4, 939 de eo canit: *est canis (Icarium dicunt), quo sidere moto tosta sitit tellus praecipiturque seges.* Atque eius aestus ea vis est, ut palleant herbae, ut est apud Ovid. Fast. 1, 688 *ac vitio coeli palleat aegra seges.* Quod enim Heinsius inducebat *squalent* ex Sil. Ital. 3, 654 *ad finem coeli medio tenduntur ab orbe squalentes campi*, aliisque locis, quos partim ipse, partim Drakenborchius ad Sil. Ital. 12, 373 attulerunt, quo loco *squalidaque intus arva coquit nimium cancro fumantibus austris* scribi volunt pro eo, quod est vulgo *pallidaque intus arva*, squalere non est exustum esse aestu solis, sed incultum iacere, quod fit nonnunquam

aestu solis nimio, saepe alias ob causas. Neque herbae ipsae possunt squalere. Itaque verum existimo *pallent.*

481 cataractarum claustris. Cataractae aut in urbium portis sunt, fores pendulae ferreae vel ligneae (Veget. de re milit. 4, 4 et Liv. 27, 28), aut ad aquam temperandam adhibentur, ut Plin. Ep. 10, 69, *4 expeditum erat cataractis cursum aquae temperare*, qui locus recte ab interpretibus cum hoc confertur. Initio versus quod edidi *tum*, coniectura est illa quidem Simleri, sed necessaria propter illud, quod est v. 478 oppositum *parvula fossa rigat*, meritoque ab editoribus recepta. Item versu insequenti Burmanni coniecturam *torrida* recte confirmat margo codicis nostri. Quod enim antea vulgabatur *horrida*, ad campos gelu rigentes pertinet, quemadmodum v. 485 est *cum glacie riget horridus Ister*. Torridum vero est exustum sole, ut Ovid. Fast. 4, 940 *tosta sitit tellus praecipiturque seges*; Sil. Ital. 12, 372 de Sardinia: *qua videt Italiam, saxoso torrida dorso*, quare *Sirius* vocatur *torrentior* apud Claud. in nupt. Hon. et Mar. 20, idemque rapt. Proserp. 2, 105 *silvaque torrentes ramorum frigore soles temperat.* Fixi qui sint latices, supra v. 246 ipse explicat *instabilem fixis aëra nescit aquis.*

483. nativa coagula, quae sua sponte, non arte coagulantur, quemadmodum Plin. nat. hist. 31, (7), 38 montes *salis nativi* i. e. non factitii, concipiunt acrem Phoebum i. e. urentem ac penetrantem. Virg. Georg. 1, 92 *ne tenues pluvii rapidive potentia solis acrior*; Horat. Serm. 1, 6, 125 *ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum admonuit.* Quod autem paulo post est crusta coit, similitudinem a glacie concrescente petit, de qua Virg. Georg. 3, 360 *concrescunt subito currenti in flumine crustae*; Lucret. 6, 625 *mollisque luti concrescere crustas.*

485. riget horridus Ister. De Istro, ne Ovidium, perpetuo, ut Trist. 3, 10, 39 et ex Ponto 4, 7, 10, de eius glacie querentem laudem, Claud. III Hon. 150 *stantemque rota sulcavimus Istrum;* Sid. Apoll. Carm. 2, 270 *solidumque rotis transvecta per Istrum;* Coripp. in laud. Iust. 3, 288 *plaustra super solidas stridentia duximus undas* sqq.; Iornandes de reb. Get. 55 *Ister fluvius ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem plaustraque et tragulas et quicquid vehiculi fuerit.*

487. solitus naturae expendere causas. Dicebat *rerum causas*, ut Ovid. Met. 15, 67 *magni primordia mundi et rerum causas, et quid natura, docebat;* Nemes. Eclog. 1, 35 *omnipotens aether et rerum causa liquores.* Intelligit enim causas eorum, quae sunt et fiunt, quae a bonis auctoribus non solet nominari natura. Cf. Observat. p. 105. Item quae deinde dixit fomitem et opus, optimi scriptores dixerunt *causam* et *effectum*. Fomes enim cum in meliore latinitate sit materies, qua ignis alitur, in hac deteriore quidvis significat, unde aliquid proficiscitur. Cum autem et in editione principe et in codice nostro vitiose esset *solitus natura*, illud Castalio, hoc Pithoeus emendavit.

489. vincta. Sic recte a Castalione emendatum, a Dammio, Kappio, Wernsdorfio editum opinor, cum sit et in codice nostro et in editione principe *iuncta*, quod nunquam de aquis congelatis dicitur. Saepe autem *iuncta* et *vincta* a librariis inter se esse commutata multis exemplis docuit Drakenborch. ad Sil. Ital. 8, 487.

493. Victorinus. De eo praeter haec, quae a Rutilio narrantur, nihil notum est. Erat autem Tolosanus, quod significatur v. 496 *et colere externos capta Tolosa lares.* Capta enim erat Tolosa, frustra aliquamdiu defensa Exuperii episcopi precibus (cf. Hieronym.

ronym. Ep. 11) ab Athaulpho, Gothorum rege, qui anno 412 Italia relicta in Gallias invaserat. Hoc quidem tempore, quo Namatianus in Gallias proficiscebatur, cum dudum Gothi in Hispanias se recepissent, licebat Victorino in patriam reverti. Verum nolebat, opinor, iterum periclitari. Popularem autem suum fuisse Victorinum etiam v. 510 significat poëta *dum videor patriae iam mihi parte frui.* Nec tamen hoc eo valere debet, ut hoc, de quo dicimus, versu scribendum esse putemus *nostrae pars maxima gentis*, quod Burmanno placebat. Nam sibi videtur modo frui parte patriae, non fruitur re vera, et quis tandem hominem maximam partem terrae dixerit? Animae vero ac mentis dici posse supra demonstratum est ad v. 426.

497. duris-rebus. Heinsius praepositionem *in* addi volebat, ut legeretur *nec tantum in duris-rebus*, ut Ovid. Trist. 1, 9, 23 *sed tamen in duris remanentem rebus amicum*, ex Ponto 2, 7, 53 *adiuvat in duris alios praesentia rebus.* Verumtamen idem Ovid. Art. Am. 2, 437 *luxuriant animi rebus plerumque secundis;* Claud. VI cons. Hon. 582 *quo* (die) *tibi confusa dubiis formidine rebus;* idem in Eutrop. 1, 25 *fortuna, humanis quantum bacchabere rebus*, alia alibi. Utrumque bonum esse existimo. Quod versu insequenti cum codice nostro scripsimus pectore non alio, in editione principe male erat *pectora non alio.* Inde Simlerus ceterique editores hoc emendarunt, quod codex confirmavit, Heinsius ad Ovid. Met. 9, 99 *pectora non alius.*

499. conscius Oceanus sqq. Victorinus fuerat vicarius Britanniarum. Hanc enim dignitatem poëta significat, cum ait praefectorum vicibus frenata potestas. Illud autem cum omnes interpretes intelligerent vicarium Britanniarum significari, quid esset potestas vicibus praefectorum frenata, nemo videtur vidisse. Nec enim credo Burmanno, qui eam potestatem vicibus

praefectorum ideo frenatam esse ait, quia non unus semper esset vicarius, sed per vices alter alterum sequeretur; nec Barthio et Wernsdorfio, qui imperio superiore et dispositione praefectorum freno quasi astrictam et coërcitam interpretantur. Sic intelligo: *potestatem gestam pro praefectis.* Praefectus urbi indicat *vice sacra* (Cf. Gothofred. Glossar. Nom. Theod. Cod. s. v.); ipsi vicarii dicuntur *agere vicem praefectorum* (Amm. Marcell. 15, 4, 10) vel *agere vices praefectorum* (Theod. Cod. 2, 33, 1 et 16, 10, 2; Cassiod. Var. 11, 4) et *vice praefectorum cognoscere* (Theod. Cod. 11, 30, 16), quare iidem vocantur *pro praefecto* vel *pro praefectis* (Theod. Cod. 16, 10, 15; Amm. Marcell. 23, 1, 2; 29, 1). Cf. Valesium ad Amm. Marcell. 14, 5, 7 et Gothofred. ad Theod. Cod. 2, 23, 2 et in prosopographia sub vicariis. *Frenatam* autem *potestatem* accipio gestam, administratam, ut Amm. Marcell. 23, 1, 5 *Maximinus regens quondam Romae vicariam praefecturam;* Sid. Apoll. Carm. 5, 564 *si praefecturae quantus moderetur honorem;* id. Ep. 7, 1 *praefecturam primam gubernavit cum magna popularitate consequenteinque cum maxima populatione.* Britannia autem constabat ex quinque provinciis, Maxima Caesariensi, Valentia, Britannia priore et altera, Flavia Caesariensi, quibus omnibus praeerat vicarius, sed ita, ut praefecto praetorio Galliarum subiectus esset. Rutilius more poëtico auget eius imperium, cum Oceanum et Thulen commemorat, fabulosam illam insulam, quae circa Britanniam esse putabatur, de qua vide Mannerti geograph. vet. Vol. I p. 78 sqq. et Vol. II p. 265 et Bernhardium ad Dionys. Perieget. v. 581 p. 685. Addit et quaecunque ferox arva Britannus arat. Eam enim Castalionis coniecturam, qua Barthius, Burmannus ceterique usi sunt, confirmat et codex Vindob. et ipsa res, quoniam Britannia etiamtum erat paulo minus nota, ut, quibus

terris constaret, dissimulare liceret poëtae. Heinsius vero quod correxit *quacunque*, demit substantivo *arva* adiectivum, quod necessarium est. Feroces vocat Britannos, quia Tac. Agr. 11 de iis dicit *in deposcendis periculis eadem* (quae Gallis) *audacia, et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit.*

502. perpetuum magni foenus amoris habet i. e. perpetuo fructum gignit ex magno amore, quem sibi in Britannia conciliavit, eum nimirum fructum, ut ametur Victorinus. Eo, quod Heinsius coniecit, *foedus*, non opus est; nec Burmannum vulgaria ubique quaerentem probo, qui *perpetui magnum foenus amoris habet* emendabat, quod ut accipiatur, non satis causae est in eo, quod solet saepe foenus magnum vocari, ut apud Tibull. 2, 7, 4; Petron. c. 83; Propert. 1, 7, 26.

503. extremum pars illa discessit in orbem. Pars non munus est, quod putabat Burmannus, nec ita falsum, ut, quod ex veterum temporum consuetudine petitum Heinsius emendabat, *sors* verum esse videatur; sed est regio, terra, quatenus magistratui alicui committitur, ut nobilis illius notitiae dignitatum titulo additur *in partibus Orientis et Occidentis*, multaque eiusdem significationis exempla attulit Gothofred. in Gloss. Nom. Theod. Cod. s. v. Versu autem insequenti rector latiore quadam significatione dicitur. Proprie enim et plerumque rector est, qui uni provinciae praeest, non, qui pluribus, atque iis ipsis, qui proprie sunt rectores, praefectus est. Sed saepe etiam de maioribus magistratibus dicitur, ut apud Ammian. Marcell. 22, 14, 6 praefectus Augustalis Aegypti, cui sex rectores, qui proprie sunt, obediebant, *rector* vocatur, apud Claud. in Eutrop. 1, 105 praefectus praetorio Orientis *Eous rector;* de Stilich. 3,

100 proconsul Africae *rector Libyae*. Vide Observat. p. 59 sqq. De sententia commode Barthius confert Claud. Hon. 4, 269 *hoc te praeterea crebro sermone monebo, ut te totius medio telluris in orbe vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse facta palam*. Paulo post *plus palmae est* i. e. plus laudis affert, maiorem laudem meretur.

507. illustris-comes. Non satis recte Wernsdorfius comitem domesticorum, qui dicitur, hoc loco significari ait. Victorinus enim cum factus esset comes illustris, sprevit tamen honores. Sunt autem tria omnino genera comitum illustrium, unum eorum, qui re vera munere aliquo funguntur, qui dicuntur in actu positi, alterum, quibus propter merita ita honor illustratus datur, ut spes simul aut oblatio muneris fiat, quibus vacantibus nomen est, tertium denique honorariorum, qui gratia florentes merum honorem assequuntur. Vacantium autem et honorariorum rursus duo genera erant, siquidem aut praesentibus aut absentibus illustratus deferebatur. Exposuerunt rem Gothofredus ad Theod. Cod. 6, 18, 7 et Ch. G. Haubóldus in dissertatione de consistorio principum Spec. II (Lipsiae 1789) c. 7 §. 4 p. 33. Victorinus igitur ad illustres comites vacantes pertinebat, et ad absentes quidem, quia poëta eum rus amasse ait. Quod ne relinquendum esset, in actu poni et veros honores adipisci noluerat. Cf. Observat. p. 60. Sacram autem vocat aulam solita illorum temporum consuetudine; nam, quicquid ad imperatorem pertinebat, sacrum erat. Vide Gothofred. in Glossar. Nomic. Theod. Cod. s. v. Gradus denique esse honores infra demonstrabitur ad vs. 591.

509. ventorum adversa fefelli i. e. effeci, ne moram ac molestiam venti adversi sentirem, consueta apud poëtas fallendi verbi significatione.

511. sudos Aurora iugales. Equos i. e. cur-

rum Aurorae dat, ut supra v. 430 Eoo sive Lucifero equum singularem, quod idem facit Claud. de rapt. Proserp. 2, 121 *dum meus humectat flaventes Lucifer agros roranti provectus equo.* Liberior in talibus rebus fingendi poëtis est licentia, ut hoc ipso loco perinde sit, bigas an quadrigas Aurorae tribui putes. Utrumque enim per optimorum poëtarum usum licet. Nam Virgil. Aen. 6, 535 *hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis iam medium aetherio cursu traiecerat axem* Aurorae quadrigas; idem Aen. 7, 26 *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis* eiusdem bigas esse ait. Plura h. l. attulit Burmannus. Versu insequenti rectius erat, non antennas, sed *vela* tendi, ut Virgil. Aen. 3, 268 *tendunt vela Noti;* ibid. 3, 683 *et ventis intendere vela secundis;* ibid. 5, 33 *et vela secundi intendunt Zephyri.* Sed cum velis etiam antennae tenduntur.

512. litoris aura i. e. Vulturnus, qui a litore flat, secundus ex portu abituris, ut supra v. 314 *natus vicino vortice ventus adest;* nam v. 463 Coro vento in Albini villam se compulsum esse narravit, ut, quod vitiose in editione principe *litoris unda* legitur, recte a Castalione ceterisque emendatum esse appareat.

513. aplustria, graece ἄφλαστα, tabulatum puppi navis impositum, iuxta quod baculus fixus erat, unde fasciae suspensae, dum per aërem ludunt, ventum indicabant. Vide plura apud Schefferum milit. naval. II, 6 p. 157 et Drakenborch. ad Sil. Ital. 10, 325. Inconcussa i. e. non huc illuc iactata, sed molli sinu mota, ut paulo post mollia vela, quae non inflantur et intenduntur a vento. Securus autem rudens, cuius proprium usum in velis aut tollendis aut demittendis esse docet Schefferus l. l. II, 5 p. 244, est, in quo nullus est metus, ne tempestate dirumpatur.

515. Gorgon. Plin. nat. hist. 3, 6, Pomponius Mela, Stephanus Byzantius Urgonem sive Orgonem

nominant, cum Rutilio Sanct. Gregorius in epistolis Gorgonem sive Gorgoniam, ut posterioribus demum temporibus litera ab initio addita esse videatur. Quae mansit hodie in nomine Gorgona. Quod Rutilius insulam monachorum latebris squalere ait, confirmat S. Gregorius in Ep. libr. 1, 50 et 4, 59 et 60, quos locos Castalio laudavit. Assurgere insulam dicit, et quia appropinquantibus sensim apparere coepit, ut v. 439 est *processu pelagi iam se Caprara tollit*, et quia saxosa est, ea quidem parte, qua poëta praetervehitur, ut ipse paulo post significat. Nam huc quoque assurgere pertinet. Plin. nat. hist. 2, 65 *quosdam Alpium vortices longo tractu nec breviore quinquaginta milibus passuum assurgere;* id. 4, 12 *Delos assurgit Cyatho monte.*

516. Cyrniacumque latus. Sic codicem nostrum et editores inde a Castalione omnes secuti scripsimus, cum in editione principe sit *Cyrnaicumque latus.* Utramque formam probo. Cum enim insula graeco nomine sit *Cyrnos*, adiectivum autem *Cyrnaeus* (cf. supra ad v. 437), ab illa forma deducitur *Cyrniacus*, ut ab Aegypto *Aegyptiacus*, ab Corintho *Corinthiacus*, ab Nilo *Niliacus*, ab hac *Cyrnaicus*, ut ab Achaeo *Achaicus*, ab Cyrenaeo *Cyrenaicus*, ab Alcaeo *Alcaicus*. Quod autem est *latus*, certe non opus erat vitiosa Simleri coniectura *litus*. Nonnunquam enim idem valet *latus*, ut Stat. Theb. 8, 291 *latus Euphratae;* Claud. in Prob. et Olybr. coss. 161 *Rhenus per utrumque latus;* id. de bell. Get. 156 *per latus Italiae ferro bacchatus et igni;* id. Epigr. 36, 2 *insula, qua resides fluctus mitescere cogit in longum producta latus.*

517. adversus scopulus i. e. non, ut Dammius interpretatur: odiosus mihi est hic scopulus (quis enim ita *adversus* dixerit?), sed ex adverso, contra positus est, ut Virgilius in descriptione Tartari Aen. 6, 552

porta adversa ingens solidoque adamante columinae. In codice autem et editione principe quod est *adversus scopulos*, librarii errore ortum est, qui *adversus* praepositionem esse putabat, frustraque a Castalione defenditur. Nec magis probo, quod cuidam placebat in Observat. miscell. Vol. 3 p. 368 *aversor scopulos*, quamvis illud ediderit Wernsdorfius tueaturque aperta, ut opinatur, Virgilii imitatione Aen. 3, 272 *effugimus scopulos Ithacae, Laërtia regna, et terram altricem saevi execramur Ulixei*, quae profecto nulla est.

518. perditus-civis erat. Civem non certum est h. l. dici eum, qui ex eadem cum Namatiano patria i. e. ex Gallia oriundus sit: quamquam potest hoc fuisse. Nam ne quod suum quidem paulo post nominat, videtur facere, quod Gallus erat. Cognatione, opinor, eum contingebat, et *civem* dicit, quia rei publicae potissimum eripiebantur, qui in solitudinem se abdebant et *vivo funere* componebantur. Quem autem poëta h. l. dicat, coniectura invenire studuimus in Observat. p. 46. Cum enim ex Hieronymi epistolis Quintilianum quendam, Exuperantii fratrem, eiusdem, ut suspicor, qui v. 213 laudatus est, constet desertis et veteribus diis et honoribus, quibus praeerat, ad christiana sacra se contulisse et Bethlehem commigrasse, eum si quis hunc Rutilii cognatum esse putarit, aliqua veri specie uti videatur. Esse autem illum, quisquis est nomine, ait maioribus amplis, ut rursus nobilitatem laudari videas, ut supra v. 169 et 271. Deinde censum i. e. rem familiarem eius praedicat, et coniugem, ipso nulla re inferiorem, ut Symmach. Ep. 6, 3, ubi Fulvio fratri uxorem petit, eum *nec genere minorem et re fortasse superiorem* esse ait, et Sidonius in Epithal. Ruricii et Iberiae (Carm. 11, 92) *quare, age, iungantur; nam census, forma genusque conveniunt.* Vide autem, quos homines christianos fieri

dicat, aut eos, qui humili sint loco orti, aut pauperes, aut eos denique, quos coniugii poeniteat.

521. homines divosque reliquit i. e. et civitatem cognatosque suos et sacra patria. Dammius *omnia optabilia* interpretatur, quod item verum. Quid enim praeter illa optabile? In iis, quae paulo post sunt turpem latebram-agit, non probo Wernsdorfium, qui edidit *turpem latebram-amat*, coniecit etiam *turpi in latebra-agit*, nec Burmannum, qui emendabat *latebram-adit*. Nam latebra h. l. non locum, ubi lateas, sed ipsum latere significat, ut Lucret. 5, 750 *solis item quoque defectus lunaeque latebras*, nec inde multum recedit Ovid. art. am. 3, 754 *et latebras vitiis nox dabit ipsa tuis;* Senec. Ep. 19 *ut latebram tibi aliquam et oblivionem parari velim.*

522. credulus exul cur sit, explicatur insequenti disticho, nimirum quia putat *illuvie coelestia pasci* i. e. quod divinum sit in homine, cogitationes divinas, nutriri, ali illuvie. Sic enim non raro pascere, ut Claud. Ep. 1, 22 *pascatque furorem;* Sil. Ital. 12, 721 *Iuppiter-quantis pascat ferus ignibus iras;* Ovid. Met. 9, 749 *spes est, quae pascat amorem.* Ab interpretibus haec de diis illuvie quasi pastis, gaudentibus minus recte accipi video. Paulo autem post quod est seque premit laesis saevior ipse diis, hoc vult, deos ipsos, si quis eos laeserit, minus ulcisci ac punire; nam *caelestis ira quos premit, miseros facit,* ut ait Senec. Herc. Oet. 441. Nec enim recte Burmannus sic interpretatur: se gravius punit, quam ipsi dii, ab eo relicti ac laesi, punirent. Quasi vero non reliquerit ac non laeserit!

525. num, rogo, deterior. Praeter Burmannum et Wernsdorfium omnes a Barthio editores scripserunt *non, roga, deterior*, hoc opinor secuti, quod, cum christianos hic non minus perniciosos, quam Circe olim fuerit, dici oporteat, ea non efficitur sententia,

si legitur *num*, quo negans, ut ita dicam, interrogatio inducitur. Nec recte Burmannus *num* sic defendit, ut necessario id cum rogandi verbo interrogationi interposito coniungendum esse docere instituat ex Petron. c. 7 et 39. Quod non verum est, quamquam Wernsdorfius tacite videtur sequi. At vero *deterius* non idem est, quod *peius*, sed minus bonum i. e. minus validum, minus potens, ut est apud Cornel. Nepot. Eum. 3 extr. *equitatu plus valebat quam peditatu, quo erat deterior*. Christianos igitur vel christianismum non minus potentem esse ait, quam venena et incantationes, quibus Circe olim corpora hominum mutare consuerat. Solebat autem hoc christianis opprobrio dari, quod venenis et artibus magicis hominum animos infatuarent.

527. Triturritam. Hic locus difficilior paulo est ad intelligendum, quia tota facies litoris Etrusci inter Liburnum et Arni fluvii ostium, quod olim in amplum ac patentem sinum maris curvatum erat, ex quo Rutilius has regiones peragravit, ita alluvione terrae mutata est, ut, qui earum tabulis iis, quae nunc sunt, utatur, haec intelligere nequeat. Itaque haec Triturrita peninsula sive Turrita, ut itineraria sive falso sive quia duplex nomen erat, appellant, et portus ei contiguus, qui a Rutilio libr. 2, 12 *Pisanus*, a Claudiano bell. Gild. 417 *portus Etruscus* vocatur, quo loco fuerint, ii ipsi, quorum summa debet esse in hoc genere auctoritas, dissentiunt. Et Cluverius quidem Ital. antiq. p. 466 portum Pisanum in ipso ostio Arni fluminis ac prope eum Triturritam fuisse ex hac ipsa Rutilii narratione colligit. Contra doctissime disputat Targionius Tozzettius in itin. Etrusc. Vol. IV, cuius summa sententia haec est, ut Triturritam, prope quam portus Pisanus erat, non in ostio Arni, sed inter Liburnum, quod hodie est, et Arnum eo fere loco fuisse censeat, quo hodie Cigna fluviolus viam, quae Liburno

Pisas ferebat, secat, prope ecclesiam S. Stephani. Primum enim Arni fluminis ostium nec nunc esse nec fuisse unquam antea ita navigiorum capax, ut in eo aptus portus fieri posset et satis magnus, quem et Rutilius *divitiis maris* praedicare, et medio aevo Pisani, cum potentissimi essent, usurpare possent. Deinde per totum aevum medium ex certissimis actis publicis constare, portum Pisanum non in ipso Arno fuisse, sed inter hunc et Liburnum, unde facilis sit coniectura, etiam eum portum, quo veteres Pisani usi sunt, non alio fuisse loco. Nec se rationibus suis deceptum esse Targionius intellexit, cum eum locum, quo veterem Triturritam fuisse coniecisset, accuratius perquireret. Invenit enim ibi et rudera multa et inscriptiones nummosque (vide eum l. l. p. 407 sqq.), unde satis amplum locum aliquando ibi fuisse apparebat. Quae cum ita sint, non dubito, quin homini doctissimo et patriae antiquitatum cum summa caritate studiosissimo credendum sit, portum Pisanum atque Triturritam villam in litore fere medio inter Arni ostium et Liburnum fuisse. Idem autem l. l. p. 389 sqq. explicat, qui factum esse videatur, ut portus hic Pisanus, olim opportunissimus et amplissimus, hodie nullus sit. Cuius rei duas causas fuisse ait. Alteram hostium culpa accidisse, qui cum Pisanos bello premerent eorumque opes delere vellent, non modo, quicquid aedificiorum in portu erat, ferro ignique vastarunt, sed ipsum oppleverunt, quod damnum Pisanis propter civitatis inopiam postea reparare non licuit. Alteram sitam esse in ipsius loci natura, qui cum alga abundaret, facile terram et ex Arno, cuius alveus tum propior hunc locum erat, quam est hodie, nec raro adiacentes regiones inundabat, et ex aliis fluviolis delatam excipiebat, et sensim solis aestu siccatam in massam solidam cogebat, quemadmodum multis locis maris inferi, ut Ostiae, ut in portu Augusto, ut Lunae, factum esse constat.

Cuius autem villa haec Triturrita fuerit et cuius *villicus*, qui infra v. 623 commemoratur, si licet coniicere, Caecinarum sive Albinorum fuisse opinor, siquidem et Targionius ibi monumentum sepulchrale ex candidissimo marmore factum invenit, in quo *A. Caecinae Quadrato Caecina Placidus filius posuit* inscriptum erat, et late patuisse in ea regione huius gentis possessiones constat. Vide Ottfr. Müllerum Etrusc. p. 417; supra v. 466, ubi villa Albini commemoratur. Quod autem ad describendum locum additum est latet expulsis insula paené fretis, miror Burmannum *patet* emendantem, quasi naturam loci penitus cognoverit. Heinsii vero et Dammii et Kappii et Wernsdorfii ratio, qui *iacet* scripserunt, medium quoddam verbum, quo nihil significaretur, tutissimum esse rati, tota reiicienda est. Itaque villam intelligimus cum maximam partem mari esset circumdata, in aquas quasi abditam esse visam, quia non assurgebat ex mari, nec procul conspicua erat accedentibus, id quod in Gorgone insula supra v. 515 commemorarat. Quod video equidem paulo esse dictum inusitatius, sed in re inusitata acumen quoddam a poëta quaesitum est. Totam autem sententiam mutavit Crusius Prob. Crit. p. 61, dum sic coniicit *qua iacet exclusis insula paene fretis*. Nam ita alio loco villam, alio insulam sitam esse facit. *Exclusis* autem ut emendaret, motus est, opinor, eo, quod supra v. 481 est *tum cataractarum claustris excluditur aequor*, in dispari tamen re. Nec vero *expellendi* verbum de eadem re inusitatum, ut est apud Petronium c. 120 in carmine v. 87 *expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis*, similique ratione Senec. Thyest. v. 459 *non classibus piscamur, et retro mare iacta fugamus mole.*

529. manu iunctis-saxis i. e. operè humano. Ita Caesar bell. Gall 3, 23 *oppidum natura loci et manu munitum;* Cic. de off. 2, 3 *quae inanima di-*

ximus, nec haberemus, nisi manus et ars accessisset; ibid. 2, 16 *sine hominum labore et manu.* Cf. supra ad v. 239. In solo igitur vadoso maris moles et saxa constructa erant, iisque superimposita aedificia.

531. quem fama frequentat Pisarum emporio divitiisque maris. Hoc dicit: fama frequenter commemorat, celebrat portum eum, qui est prope Triturritam, eo, quod celebrat emporium Pisarum, sive *portum Pisanum*, ut est infra 2, 12, sive *portum Etruscum*, ut vocat Claud. bell. Gild. 417, divitiasque maris, quae in eo sunt. Intelligendum est igitur, ad portum ipsum oppidulum fuisse, quo Pisani emporio utebantur, eique nomen fuisse portum Pisanum. Quem quidem non mercatoria solum re, sed omni navali illo tempore fuisse maximum inde constat, quod in eo classem adversus Gildonem instructam, atque inde in Africam profectam esse narrat Claud. bell. Gild. 417 et 483. *Frequentandi* autem verbum h. l. non inusitatum, ut recte coniecisse videri debeat Schraderus *quem turba frequentat.* Unum commemoro locum ex Sulpiciae Satir. init. *Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas*, plura pete ex lexicis.

533. pelago pulsantur aperto. Naturam loci, quo portus Pisanus erat, describere incipit. Primum litora non defensa esse ait molibus; *pulsantur* igitur *litora* mari, ut scripsimus Barthium et Dammium et Kappium secuti, non *pulsatur* locus, quod est in codice et in editione principe. Pulsare enim est crebro impellere id, quod obstat; locus autem, quia hic totum portum significat, nec obstat nec pulsatur. At litora recte pulsari dicuntur, ut apud Ovid. Met. 1, 42 (flumina) *campo-recepta liberioris aquae pro ripis litora pulsant.* Solito igitur suo more poëta subiectum reiecit in alteram enuntiationem. Cf. supra v. 434 et saepe.

535. tegitur per brachia tuta recessus. Brachia quae hoc loco vocantur *tuta*, quia intra ea naves ab impetu maris tutae sunt, proprio nomine et in re castrensi munimenta utrimque ad locum aliquem tutandum excurrentia, et in portu vocari moles, quae undarum vim frangant, docuit ad hunc locum Burmannus. Ut illa significatione posuit Frontin. Strategem. 3, 17, 5 *Flavius Fimbria brachiis ab latere ductis quietum in vallo militem tenuit;* hac Suet. Claud. 20 *portum Ostiae extruxit circumdato dextro sinistroque brachio.* In hoc autem portu nullus est recessus i. e. sinus interior, qualis erat Centumcellis v. 245, Aeolias possit qui prohibere minas, qui ventos possit arcere a navibus. Nec enim moveor, quod in editione principe est *possint*, quo ita aliquis uti possit, ut scribendum esse putet *possint* (i. e. brachia) *quae prohibere miras.*

537. procera suo praetexitur alga profundo. Alga, quae nata in imo vado, quia procera est, supra summum extat, totum illum tractum maris ita occupat, ut poëta eam *suo profundo*, quod tanquam sibi proprium obtineat, *praetexi* dicat i. e. ad tutelam praeiacere, ut infra 2, 33 est *excubiis Latiis praetexuit Apenninum.* Ea autem alga insanas cedendo interrigat undas. Quid? inquies, undae rigantur? Ita est sane. Rem demonstrarunt I. Fr. Gronovius et Drakenborchius ad Liv. 5, 16, 9, ubi ita est: *emissam* (aquam Albanam) *per agros rigabis dissipatamque rivis extingues.* Rigare igitur idem est, quod rivis dissipare, diducere, itaque etiam Furius apud Macrob. Saturn. 6, 1 *nitemque rigat per pectora somnum;* Claud. de nupt. Honor. et Mar. 101 *largos haec nectaris imbres irrigat*, quae expressa sunt ex Virg. Georg. 4, 115 *ipse feraces figat humo plantas et amicos irriget imbres.* Itaque, ut ab alga ubique irrepente diduci undas et secari significaret, novum adeo,

ei certe, quam nos novimus, latinitati ignotum, sed recte tamen et apte formatum, verbum *interrigandi* adhibere ausus est. Editiones quidem a Castalione omnes insedit *interligat*, parum apta sententia. Statius certe Theb. 7, 571 *alterno maculas interligat ostro*, aliter dixit, nec satis praesidii est ex comparatione Servii in arte de centum metris c. 9, quem Wernsdorfius in Supplementis (Tom. VI Poët. Lat. min. p. 1496) laudat *fontes ligabant gramina laetificos*, quo loco est redimire, cingere. Heinsius h. l. emendabat *et tamen insanae cedendo iter implicat undae*, Santenius *mitigat*, Burmannus *intercipit*, alius quidam apud Wernsdorfium in Supplementis *interplicat*; immane vero est, quod Crusius Prob. Crit. p. 61 proponebat *strangulat*. Grande autem volumen v. 540 intellige magnos fluctuum cumulos. Wernsdorfius attulit Avien. ora marit. 596 *nunquam excitentur fluctuum volumina*, Apulei. Met. 5 p. 169, 33 *sed mitis fluvius confestim eum innoxio volumine super ripam florentem herbis exposuit*. Adde Sil. Ital. 14, 122 *decimoque volumine pontum expulit in terras*. Simili ratione *fumi*, ut apud Ovid. Met. 13, 601; Lucan. 3, 505, et *nubium*, ut apud Stat. Theb. 1, 351, dicuntur volumina. Ad eandem autem hanc loci naturam, quam pluribus hic Rutilius exposuit, pertinet, quod Lucanus ait 2, 400 *collesque* (Apennini) *coërcent hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae, illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon*.

541. tempora navigii i. e. navigationis. Hanc enim notionem in voce navigii apud deterioris latinitatis auctores inesse docuit I. Fr. Gronovius in Observat. Eccles. c. 23 init., a quo pete infimorum scriptorum aliquot locos. Addo Scaevolam in Dig. 45, 1, 122 *idque creditum esse in omnes navigii dies*; ibid. paulo post *redderet universam continuo pecunium, quasi perfecto navigio*; Ulpian. Dig. 43, 12, 1

§. 14 *ait praetor, iterque navigii deterius fiat, hoc pro navigatione positum est*, sed addit *imo navigium solemus dicere etiam ipsam navem.* Is autem locus, qui a Forcell. in lexic. s. v. affertur, Lucret. 5, 1004 *improba navigii ratio tunc caeca iacebat*, certe dubius est. Rara igitur ea notio vocabuli, sed h. l. satis, opinor, certa. Nam illud, quod Reusneriana habet editio, *tempora navigiis*, non aptum videtur, quia cuius rei dicantur tempora, non additum est.

clarus reparaverat Eurus. Est enim etiam *niger* Eurus sive *Africus* (infra v. 631), ut apud Horat. Epod. 10, 5 *niger rudentes Eurus inverso mari fractosque remos differat*, Valer. Flacc. 2, 365 *insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus intonat Aegeo.* Contrarius ei est *albus*, ut Horat. Carm. 1, 7, 15 *albus ut obscuro deterget nubila coelo saepe Notus*, et *clarus*, ut apud Virg. Georg. 1, 460 *et claro silvas omnes aquilone moveri*, quo loco Servius *clarum* interpretatur *serenificum, quia et nubilus sit, ut fere omnes venti*, et *nitidus*, ut infra v. 616 *nitidus Notus.* Quod Heinsius h. l. coniecit *clarus repararat Eous*, uti supra v. 430 *cum primum roseo fulsit Eous equo*, non videtur convenire cum narratione Rutilii.

542. Protadium, principem Romanum, Treviris oriundum, literarum studiosissimum, ad quem multae extant epistolae Symmachi. Dixit de eo secundum Benedictinos Maurianos in hist. lit. Galliae T. II p. 134 Wernsdorfius peculiari excursu, nos in Observat. §. XXV p. 77.

544. virtutis specimen corde vidente petat. Ita intellige: si quis certa quaedam signa hominis poscat, cum *petendum* sive adeundum sibi putet, in quo *cor* sive animus eius virtutis specimen deprehenderit. Nec enim recte Wernsdorfius illud, quod

est *petat*, interpretatur *studeat imaginari sibi, formare, fingere animo*, qua eadem cum uterentur explicatione, Heinsius *corde videre putet*, Burmannus *corde videnie notet*, Kappius *corde videre petat* emendabant. Quod autem poëta cor videre facit, quid mirum in eo, qui v. 166 lumina facit valedicere? cum praesertim videre non raro ab oculis ad animum transferatur. Iam *virtutis specimen* scripsimus nos quidem necessario, codicem nostrum secuti et Castalionem, Barthium, Dammium, cum editiones ceterae habeant *virtutis speciem*, quod sic tuetur Wernsdorfius, ut externam potissimum figuram, quam species significet, necessariam esse dicat. At ad eam cognoscendam corde certe atque animo nihil opus est, nec propter ea, quae insequuntur, quamquam externa species potest intelligi, necesse est eam significari. *Specimen* autem *virtutis* est, ut apud Ciceron. in Pis. 39, 95 P. Rutilius *specimen innocentiae*, apud eundem de nat. deor. 3, 32, 80 Q. Scaevola *specimen temperantiae prudentiaeque* dicitur.

545. Nec magis etc. Causam explicat, cur specimen virtutis qui petiverit, certo Protadium inventurus sit. Nec enim similiorem eius effici posse imaginem ait pingendo ac coloribus, quam ea sit, quae efficiatur, si omnes virtutes misceas, in uno homine coniunctas esse putes. Scripsimus autem *colore*, quia ineptum est colorem similem dici Protadio, nec Wernsdorfio colorem interpretanti effigiem per colores effectam fidem habemus. Vide Observat. p. 106. *Merita* dixit singulas virtutes, ex quibus illud universae quasi virtutis specimen efficitur, temperatur, *miscetur*. Nam *mixta*, non *missa figura*, quod Heinsio placebat, debet esse, recteque confertur a Barthio Claud. Stilich. 1, 33 *sparguntur in omnes: in te mista fluunt, et quae diversa beatos efficiunt, collecta tenes.*

547.

547. certo-vultu i. e. constanti, ex quo intelligas, hominem omnia providisse nec quicquam timere.

550. sui praesulis sive praefecti. Urbi enim praefectus fuerat Protadius, quem honorem ei gratulari videtur Symmach. Ep. 4, 23. Quando fuerit, cum certis signis constitui nequeat, veri tamen est simile, fuisse ante Florentium, iuniorem fratrem suum, qui inde ab anno 395 per triennium urbi praefuit. Temere autem versu antecedenti Heinsius coniecit *quin fortasse minus;* nihil enim ibi gradationis. Vide supra ad v. 91.

551. Umbria. Pisis habitabat Protadius. Quae igitur haec Umbria, in qua *patriis* sedibus, i. e. Treviris, relictis tunc erat? Nec enim aut Wernsdorfio credo, qui forte eum tum Pisis degisse ait, cum praedia eius essent in Umbria, quod certe poëta in his rebus accuratissimus non videtur praetermissurus fuisse, aut Corsino in serie praef. urbi p. 300, qui Umbriam circa Umbronem fluvium fuisse docet, teste usus Plinio nat. hist. 3, 5. Satis enim longe is fluvius a Pisis abest. At vero ea dicitur Umbria, quae proprie Tuscia et Umbria erat vocanda. Quam provinciam cum saepe Tusciam dici docuerimus in Observat. §. XII sqq., quid impedit, ne aliquando etiam Tusciae nomen omissum, Umbriae relictum esse putemus? Paulo post mens invicta viri pro magnis parva tuetur est quamquam parva nunc possidet, cum magna olim possederit, eo tamen mens viri non victa est; nam etiam magna ita habuerat, quasi essent parva. Commemoro Dammii causa, qui, parum recta sententia, tueri h. l. interpretatur intueri, aestimare. Nec laudo Heinsium, qui paulo post emendabat *animo magna fovetque suo,* ut infra v. 592 est *duplici sedulitate fovent.*

555. regum rectores. Praeter Barthium omnes recentiores editores, quod Sitzmannus coniiciebat *rerum rectores,* cum idem a Rutgersio Var. lect. 3, 7

et ab Heinsio commendari viderent, ita cepit, ut vulgatum iam factum sit. At vero Romanos scio saepe vocari rerum dominos (vide infra 2, 17), Cincinnatus et Fabricius et Serranus, non intelligo, quo pacto ita nominari possint, quorum tempore Romanum imperium Italiam non excessit. Sunt igitur *regum rectores*, qui reges vicerant iisque imperabant. Plurali utitur poëtarum more, cum unum diceret Pyrrhum regem, Claudianum imitatus IV Hon. 413 *pauper erat Curius, cum reges vinceret armis; pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum:* in Ruf. 1, 200 *contentus honesto Fabricius parvo spernebat munera regum.* Eadem autem virtutis Romanae exempla commemorat Grat. Cyneg. 322; Mamert. Panegyr. Max. Aug. 14, 2; Pacat. Panegyr. Theod. Aug. 9, 5; Sid. Apoll. Ep. 8, 8 extr. Paulo post sine causa Schraderus corrigebat *cespes alebat* pro eo, quod est *cespes habebat.*

556. Cincinnatos, viros, qualis fuit L. Quinctius Cincinnatus, cos. anno 460, de quo ita tradit Valer. Max. 4, 4, 7 *septem iugera agri possedit: ex hisque tria, quae pro amico ad aerarium obsignaverat, multae nomine amisit. Poenam quoque pro filio Kaesone, quod ad causam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu solvit. Et tamen ei quattuor iugera* (trans Tiberim in agro Vaticano, ubi postea Quinctia prata fuerunt) *aranti non solum dignitas patris familiae constitit, sed etiam dictatura delata est.* Accidit res anno 458 a. Chr. in summo civitatis ab Aequis timore. Vide Liv. 3, 26; Dionys. 10, 24; Plin. nat. hist. 18, 4.

557. haec i. e. nostra, quod etiam nostra aetate Protadius parvo agro contentus, summis tamen honoribus dignus est, non inferiora feruntur i. e. non minoris fiunt, aestimantur, quam quod Serranus sua ipse manu agrum conserebat, ac Fabricius parvo lare contentus erat. Utrumque coniunxerat Virg. Aen. 6,

844 *parvoque potentem Fabricium vel te sulco, Serrane serentem*, nec Rutilius nihil nisi variavit, quod Virgilius dixerat *parvo potentem* et *sulco serentem*. Serranum autem Perizonius Animadv. hist. p. 34 docet esse C. Atilium Regulum, cos. anno 257 et 250 a. Chr. nat., rebus contra Poenos terra marique gestis clarum, de quo Plinius nat. hist. 18, 4 *serentem invenerunt dati honores, unde cognomen*. Cf. Cic. p. Sex. Roscio 18, 50; Valer. Max. 4, 4, 5. De eodem ita Claudian. Hon. 4, 415 *sordida Serranus flexit dictator aratra*; in Ruf. 1, 202 *sudabatque gravi consul Serranus aratro*; Symmach. Ep. 7, 15 *Catones atque Atilios aemulare, quos vomis et stiva ad consulares misit secures*.

Fabriciique foco, C. Fabricii Luscini, cos. anno 282 et 278 ante Chr. nat., nobilis rebus contra Samnites et contra Pyrrhum gestis. Ei tradidit Iulius Hyginus, excerptus ab A. Gellio 1, 14, dono obtulisse Samnites, clientes ipsius, grandem pecuniam (addit Valer. Max. 4, 3, 6 etiam mancipia aliquot) Samnitesque sese id facere dixisse, *quod viderent multa ad splendorem domus atque victus defieri neque pro magnitudine dignitateque lautum paratum esse* cet. Eodem pertinet Valerii Maximi narratio, Fabricium *sine usu familiae* abunde comitatum, domumque eius, ut mancipiis vacuam, ita gloria refertam fuisse. Hic igitur est Fabricii *focus*, hoc *parvum* illud, quo contentum fuisse eum Virgilius dixit, i. e. parvus aedium apparatus.

559. fida in statione. Sumpsit ex Virg. Aen. 2, 23 *statio male fida carinis*. Quod autem antecedit ergo, adnota hic recentiorum poëtarum usu posteriorem syllabam corripi, ut Ovid. Trist. 1, 1, 87 *ergo cave, liber*; id. Heroid. 5, 59; Valer. Flacc. 2, 407 *ergo moras*; Lucan. 9, 256; Martial. Epigr. 4, 27

non minus ergo soles; Claud. Epist. 4, 17 *ergo lacessitus;* Auson. Ep. 25, 56 *ergo meum.*

560. qua solet ire pedes. Argutius quam verius explicat Dammius, Protadium ipsum hac via uti consuevisse, eamque priscorum Romanorum consuetudine pedibus confecisse. Duae erant viae Triturrita Pisas ferentes, una, ut mari ex portu Pisano ad ostium Arni navigaret eoque Pisas subveheretur, altera terrestris, brevior quam illa. Hanc significat poëta. Nam ut *pedester* saepe pro eo, quod debet esse *terrester*, dici constat, sic *pedes* nonnunquam ei, qui mari utitur, opponitur, ut apud Vellei. 2, 121 *classicis peditumque expeditionibus.*

561. tribunus, militum, opinor, aut etiamtum in actu positus, ut dicitur, praepositusque militibus, qui Triturritae in praesidio erant, aut vacans, quales saepe commemorantur. Vide Observat. p. 25 et supra ad v. 507. Qui antequam Pisas missus est, inter scholares meruerat, quibus quia Namatianus, cum magister officiorum esset, praefuerat, commilitii veteris necessitudine coniuncti erant.

563. officiis-magister. Sic iunge; magister enim officiis dicitur, qui vulgo appellatur magister officiorum, ut, qui plerumque est *vici magister*, nonnunquam vocatur *vico magister*, qui solent dici *patres familias*, ab Cic. in Verr. 3, 79, 183 *patres familiis* appellati videntur esse. Quae autem magistri officiorum fuerit origo, quae fuerint munera, satis dictum est in Observat. §. VII. Qui cum ceteris officiis palatinis praeesset, tum scholas quinque, principi ad corporis custodiam constitutas, regebat, quas armigeras-principis excubias poëta nominat, ut discerneret ab inermibus excubiis, quae item in palatio erant. Dammius autem, qui Namatianum praefectum praetorio fuisse hinc colligit, horum temporum inscitia deceptus est. Regia tecta intellige imperatoris.

565. Alpheae-originis. Ipse explicat v. 571 sqq. Pisae enim ex eiusdem nominis urbe Elidis, prope quam Alpheus est fluvius, deductae esse putabantur. Itaque Pisas Italicas ab Alpheo oriundas esse ait, ut Virg. Aen. 10, 180 *hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae*, ad quem locum Servius conferendus; Claud. de bell. Gild. 483 *nec Alpheae capiunt navalia Pisae.* Eadem de Pisarum origine narrant Plin. nat. hist. 3, 5 et Strabo 5, 2, 5.

566. quam cingunt geminis Arnus et Ausur aquis. Hodie tota eius regionis facies mutata est, ut nunc nec Arnus nec Ausur, qui hodie Serchio appellatur, eundem, quem antiquitus, cursum habeant. Atque hic quidem, oriundus ex Apennini montibus, cum olim, paulo infra Lucam eo fere loco, quo hodie pagus Arena est, ad meridiem versus, ubi nunc quoque val d'Ozari manet, Arnum iuxta Pisas, utrimque ab Arno et ab Ausure inclusas, obliquo cursu peteret, hodie propter inundationes frequentes et magnopere noxias a Pisanis derivatus inde a pago illo ad occidentem versus in mare infunditur, ut eius ostium ab Arni ostio sex fere milia passuum distet. Quam derivationem ante annum 1283 p. Chr. factam esse inde colligitur, quod eo tempore prima recentis ostii Serchii fluminis invenitur commemoratio. Praeter Cluver. Ital. antiq. libr. II p. 461 copiosissime de hac re disputavit Targionius Tozzettius in libro saepe laudato T. II p. 146 sqq. De nomine fluvii non deserendam esse putavimus auctoritatem codicis nostri et editionis principis, in quibus *Ausur* scriptum est. Strabo 5, 2, 5 *Ausarem* nominat, Plin. nat. hist. 3, 5 *Auserem*, eademque varietas mansit apud scriptores posteriores, qui modo *Aesarem* (quod nomen superest in hodierno Ozari), modo *Auserem* et *Hauserem* et *Auxerem* appellant. Ut tamen ne *Ausur* quidem abiiciendum esse arbitrer, facit Cassiodorus Var. 5, 20 et 17, apud quem

ita videtur esse vocandus. Fuerunt etiam, qui, cum Serchii hodierni nomen admodum ab Ausere veteri discrepare viderent, dubitarent, num re vera idem flumen antiquitus Ausur fuerit, qui hodie est Serchio. Quos falli opinione sua ostendit pactio quaedam publica, inter episcopum Lucensem iudicesque eius urbis facta, quam profert Muratorius in Script. rer. Ital. T. II p. 45 et 1299, in qua ea pars fluminis, quae prope Lucam est, *Auserculus* vocatur. Quo loco Muratorius adnotat, apparere iam originem nominis recentis. Ex Auserculo enim, abiecta prima syllaba, factum esse *Serculum*, *Serclum* sive Cerclum (vide Targion. Tozzett. l. l. p. 178), inde more linguae Italicae *Serchio*.

567. conum pyramidis-ducunt. Ausur Arnum non recto cursu a septemtrione ad meridiem fluens contingebat, sed, dum adventat, alveum inflectens obliquum flumen in Arnum immittebat, ut, quae terra inter utrumque fluvium intererat, coni speciem referre videretur. Memorabile autem quiddam narrant Strabo 5, 2, 5 et Aristoteles de mirabil. c. 94 p. 191 (Beckmann.), in coitu fluviorum aquas adeo sublimes tolli, ut, qui in utraque ripa sint, alter alterum conspicere nequeant. Tanto impetu ferri Auserem. Quod autem est *conum-ducunt*, non apte Burmannus comparat *notam, formam, colorem ducere*, quae sunt apud Ovid. de art. amat. 3, 493; ex Ponto 4, 10, 39; Met. 3, 485, quibus locis *ducere* est *inducere*, *induere*, quod ipsum in iisdem dicendi generibus posuit Ovid. Met. 4, 374 *facies inducitur illis una*, ibidemque 7, 642 *et humanam membris inducere formam*. Nec enim ipsorum fluminum alveus conum inducit, sed efficit, ut terra interiecta inducat. Itaque comparo potius Ovid. Met. 8, 247 *primus et ex uno duo ferrea brachia nodo vinxit, ut aequali spatio distantibus illis altera pars staret, pars altera duceret orbem*, Quint. 11, 3, 118

aut sinistrum ducat orbem, ut ducere sit conducere, contrahere, ut est apud Lucret. 4, 431 *porticus-paulatim trahit angusti fastigia coni, tecta solo iungens, atque omnia dextera laevis, donec in obscurum coni conduxit acumen.* Pyramidis autem conus adhibetur etiam ab Ausonio Mosell. 312 *quadro cui in fastigia cono surgit et ipsa suas consumit pyramis umbras.*

568. intratur modico frons patefacta solo i. e. *frons* sive adversa a mari advenientibus pars terrae inter Arnum et Auserem interiectae, ubi *intratur* sive aditur, *modico* tantum, quia angusta est, *solo patefacta* est, deinde amplior et latior extenditur. Sic Wernsdorfius, cum Dammius non recte frontem intelligat alveum fluviorum, ubi in mare exeunt, quae vulgo frons fluvii appellari solet.

571. Troiugenas fortuna penates-regibus insereret i. e. antequam fortuna domum, gentem Troianam transferret Lavinium. Nam penates, dii domestici, hic pro ipsa domo ponuntur. Offenduntur tamen nonnulli, quod penates regibus inseri ait, quare Schraderus pro penatibus *nepotes* substituebat, ut est in Pervigil. Ven. 69 *ipsa Troianos nepotes in Latinos transtulit*, alius quidam vir doctus in Miscell. observat. III, 3 p. 369 pro regibus *sedes* malebat. At contraxit poëta, quod nostris hominibus consuetius fuerat, si sic explicasset: penates Troiugenas penatibus regum inserere, vulgari latinorum dicendi genere. *Inserere* autem, ab arborum insitione translatum, non raro de iis dicitur, qui in familiam alienam traducuntur, ut Suet. Tiber. 3 *insertus est et Liviorum familiae*, similique brevitate dicendi atque hic, est apud Ovid. Met. 13, 33 *inserit Aeacidis alienae nomina gentis*, et apud Suet. Calig. 23 *succensebat, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum* (Agrippam) *Caesarum insererent.*

575. sancti genitoris imago i. e. statua patris Lachanii, quem v. 595 nominat. Diximus copiose et de ipso et de eius rebus in Observat. §. XI sqq. Fuerat autem consularis Tusciae et Umbriae, anno post Chr. nat. 389, ut videtur, quam provinciam quia *sancte* i. e. cum integritate et iustitia rexerat, Pisani ei in foro urbis suae statuam posuerant, ut moris erat fieri. Magis tamen *sanctus* appellatur, quod mortuus erat. Piorum enim manes sancti vocari solent. Vide interpretes ad Tibull. 2, 6, 31. Hoc autem loco haud scio an imitetur etiam Virg. Aen. 5, 80, ubi Aeneas sic patris manes alloquitur: *salve, sancte parens, salvete recepti nequicquam cineres.*

577. laudibus i. e. titulo honorifico, qui in basi statuae inscriptus erat, quales rectorum Tusciae et Umbriae attulimus aliquot in Observat. p. 40, cogor lacrimare. Sed diversis duabus cogitationibus commovebar. Gaudia enim i. e. lacrimae (nam causam posuit pro effectu) gaudio, quod tanti fieri videbam patrem a Tuscis, effusae, moesta simul erant propter dolorem mortui iam patris. Comparat huic loco Barthius Claud. bell. Get. 407 *singultus varios lacrimosaque gaudia miscent*, et eundem bell. Gild. 228 *permisto tremuerunt gaudia fletu.* Quattuor autem hi versus inde ab v. 575 in editione principe desunt, librarii, ut videtur, errore, qui v. 574, in *genus* desinentem, et v. 578, cuius ultima vox est *genis*, pro eodem uno haberet. In codice nostro nihil deest.

580. fascibus-senis credita iura dedit. Lachanius *Tyrrhenis arvis* praefuerat i. e. consularis Tusciae et Umbriae fuerat, cuius dignitatis insigne sex fasces sunt. Fasces fuisse consularibus provinciarum etiam ex aliis testimoniis demonstravimus in Observat. p. 40; sed sex fuisse Namatianus solus h. l. videtur esse auctor. Dativum autem esse arbitror *fascibus senis*, aptum ex eo, quod est *credita*, quod Dammii

causa commemoro, qui explicat: credita iura cum senis fascibus.

582. plus placuisse sibi, quam ceteros honores, quos postea assecutus est. Commemorat autem maximas, quae tunc erant, dignitates, curam primum opum sacrarum, quae comiti sacrarum largitionum commissa erat; deinde ius quaesturae i. e. munus, potestatem quaestoris, de quibus dixi in Observat. §. XV init. et ad v. 172. Denique v. 585 praefecturam se adeptum esse ait, urbis, opinor. Nihil enim valebit, quod adiectum est *si fas est,* nisi ad religionem pertinebit, quae cum apud omnes, tum apud Namatianum summa erat urbis Romae. Neque enim praetorii praefectura, quam fortasse quispiam intelligendam esse dixerit, dignitate superabat aut curam sacrarum largitionum aut quaesturam, ut eo illud, quod est *si fas est,* pertinere posse videatur. Vide Observat. p. 42.

587. tam carus et ipse probatis. Eadem caritate, qua Lachanius Tuscos amplexus erat, invicem *probati,* i. e. quos probarat atque unice ex omnibus populis dilexerat, Lachanium amplectuntur, ut ille amore suo non deceptus sit. Minuit vim sententiae Burmannus, cum vulgaria desiderans corrigit *nam carus et ipse probatis.*

588. aeternas grates canit. Refero ad versus in basi statuae inscriptos, quibus Pisani in perpetuum memores se Lachanii beneficiorum futuros esse profitebantur. Sic enim malo Barthium sequi, quam ceteros interpretes, qui ad sermones cantusque referunt, quibus Tusci mortui consularis laudes celebrarint. Nam vix credibile est, adeo illos homines cantus fuisse amantes, ut carminibus memoriam Lachanii conservarent. Nec ex iis, quae sequuntur, illud colligi potest. Ut enim doceat non falso Tuscos versibus statuae inscriptis professos esse, in aeternum se memores futuros esse Lachanii beneficiorum, addit, re vera fieri, quod

spopondissent, atque laudes eius a patribus tradi filiis. Heinsius, qui *alternas grates* coniiciebat, aberrabat a loci sententia. Nec enim, ut Pisani Lachanio agebant gratias, ita egerat Lachanius Pisanis. Sed *cura* mutua inter eos fuerat.

590. insinuant. Meliores scriptores non dicunt de loquendo et tradendo per sermonem; haec demum latinitas et maxime Icti, a quibus in vulgarem usum manavit, eam notionem admittunt. Symmachus, Namatiano paulo superior, saepissime habet, non item Claudianus, cuius locus, quem confert Wernsdorfius, Epist. 3, 22 *litera labris atque animis insinuanda meis*, paulo est aliter intelligendus. Nec Rutulius h. l. dixisset *insinuare*, nisi assiduitatem et amorem, cum quo Tusci de Lachanio loquebantur, significare voluisset. De universa sententia recte comparat Burmannus Cat. Distich. 1, 7 *constans et lenis, cum res expostulat, esto, temporibus sapiens mores sine crimine mutas.*

591. gradibus i. e. honoribus, ut supra v. 508, ut Claud. epithal. Pallad. et Celer. 66 *per cunctos iit ille gradus aulaeque labores emensus* cet., saepissime Symmachus, ut Epist. 9, 91 *opto adaugeat gradum meritis iure delatum continuata felicitas;* 1, 60 *a te quoque pro ratione vitae non pro gradu militiae censeatur;* 9, 67; 4, 37; 9, 1; 9, 53 etc. Degenerare autem optimi scriptores cum praepositione *ab* iungunt, boni tamen poëtae etiam accusativum admiserunt, ut Ovid. ex Ponto 3, 1, 45 *hanc, cave, degeneres;* id. Met. 7, 543 *equus degenerat palmas* (ita enim ibi scribi iubet librorum optimorum consensus); Propert. 5, 1, 79 *di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos.* Cf. Heins. ad Ovid. ex Ponto l. l. At vero ne dativum quidem spretum esse docet Manil. 4, 78 *degenerant nati patribus;* Stat. Theb. 1,

464 *et Marti non degenerasse paterno;* Claud. IV cons. Hon. 367 *et patri non degeneraret Achilli.*

592. duplici sedulitate, et propter patrem et propter me ipsum, quem videant eosdem honores assecutum esse, quos pater tenuerat. Flaminiam autem paulo post viam esse intelligendam, quae iuxta Tusciae veteris fines Roma Ariminum ducebat, non regionem Flaminiam, quod propter *regionum* commemorationem facile verum esse videatur, demonstravimus, ubi diximus de Lachanio, in Observat. §. XIII. Illud autem, quod est splendoris patrii saepe reperta fides, sic intellige: saepe inveni homines, quibus eximie esset persuasum de virtute ac praestantia patris, qui confirmarent suis sermonibus, eum suprà alios omnes enituisse.

595. famam-suos. Hoc dicit: Etruria tota inter Tyrrhigenas i. e. populares suos priscos, quos in deorum numero habet atque inter penates vel lares colit, Lachanium recepit eumque numinis instar veneratur, ut Augustum olim ab oppidis inter deos suos cultum esse refert Appianus bell. civ. 5, 132 καὶ αὐτὸν αἱ πόλεις τοῖς σφετέροις θεοῖς συνίδρυον. Pro deo enim Lachanium esse habitum a Tuscis, docet et venerandi verbum et illud, quod est *numinis instar*. Atque Tuscos imprimis consuevisse defunctorum manes consecrare iisque tutelam suarum rerum committere constat. Vide Muellerum in Etruscis Vol. II p. 86 sqq. Tyrrham autem priscam Lydiae urbem fuisse putant (vide eundem Vol. I p. 80), a qua et Tyrrhenus rex vocatur, et recte, quamvis nove illud fecerit, a Namatiano factum est *Tyrrhigenae*, ut supra v. 571 est *Troiugenae penates*. Tyrrhus vero, pastor regius, et Tyrrhidae, qui sunt apud Virg. Aen. 7, 485, ad quos Wernsdorfius Tyrrhigenas refert, longe ab iis diversi sunt. In editione principe est *turrigenas*, quos Burmannus interpretatur Etruscos, quod ineptum est. Quamvis

enim constet, Etruscos ingentium aedificiorum vel turrium extructionibus excelluisse, unde quidam Tyrrhenos dictos esse colligunt, tamen nec nascitur quisquam ex turri, nec poëta, quos a Tyrrheno vocatos esse, cum Etruriam appellat Lydiam, haud dubie significat, eosdem a turribus nomen invenisse dicere debuit. Quare Castalio *terrigenas* emendavit, quos vult esse heroes indigenas, inter quos Lachanium relatum esse putat, quod Burmanno placuit; idemque in codice nostro inveniri videtur, quia ex eo nihil varietatis annotatur. Verum falsum id esse nec usquam terrigenas vocari nisi gigantes Tellure natos demonstravit Wernsdorfius. Heinsianum vero *rurigenas* et Sohraderianum *Tyrrhenos* tuto contemnentur. Lydiam autem vocat Etruriam, quia Lydos Tyrrheno duce in Italiam venisse ibique gentem Etruscam condidisse fama ferebat. Quare Virg. Aen. 9, 11 de Etruscis *Lydorumque manum, collectos armat agrestes*, et *Tiberim*, per Etruriam fluentem, appellat *Lydium* Aen. 2, 781. Quod autem est numinis instar, apte Burmannus confert Ovid. Met. 14, 124 *numinis instar semper eris mihi.* Idem quod Lachanii nomen mutabat in *Laecanium*, satis refutatum est in Observat. p. 30.

597. priscos-mores, avitos, simplices et incorruptos. Dubito, an etiam sacra prisca dicat. Nam quae v. 371 de festis Osiridis et quae modo de Lachanio numinis instar culto narravit, cum Christianorum moribus non conveniunt. De rectoribus supra dictum est ad v. 503.

599. Decius. Diximus de eo et de patre eius in Observat. §. XXIV. Nihil de utroque, nisi haec, quae Rutilius narrat, notum est. Nam quae Wernsdorfius de Decio exponit, non satis vera sunt. Nobili tamen genere oriundum fuisse colligo ex eo, quod nobile eum pignus, i. e. filium, Lucilli appellat. Corythi populus est Tuscorum. Corythus enim, pri-

scus rex Cortonae, Etruriae oppidi, fuisse dicitur, eiusque frequens mentio apud Virgilium, ut eo loco, qui iam supra laudatus est, Aen. 9, 10 *extremas Corythi penetravit ad urbes.* Vide Muellerum in Etruscis Vol. II p. 277.

601. mirum, si i. e. mirum est, quod. Graecorum enim more nonnunquam mirandi verbo particula *si* pro eo, quod latine debet esse *quod*, additur, ut apud Horat. Ep. 1, 12, 12 *miramur, si Democriti pecus edit agellos;* Ep. 1, 15, 39 *non hercule miror-si qui comedunt bona;* Ep. 1, 17, 26 et ad Pison. 424. Item adiectivum eam particulam asciscit. Terent. Andr. 4, 1, 27 *quid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit;* id. Hecyr. 4, 4, 87 *non mirum fecit uxor, si hoc aegre tulit;* Ovid. Her. 15, 85 *quid mirum, primae si me lanuginis aetas abstulit;* id. Her. 16, 39 *nec tamen est mirum, si, sicut oporteat,-amo;* id. art. amat. 3, 26 *non mirum, populo si favet illa suo.* Sic etiam Quintil. 1, 4, 6 *minus mirum, si-legantur Alexanter et Cassantra;* id. 11, 3, 67 *nec mirum, si-ista valent,* ut hunc usum etiam ad scriptores posteriores pertinuisse intelligatur. Deceptus igitur est h. l. Dammius, qui ita explicat: nec mirum est, hunc Decium esse tam bonum, si (quandoquidem) pater Lucillus felix est tam simili posteritate; eandemque rem Heinsio fraudi fuisse opinor, qui emendat *magni si redditur indole nati.* Redditus autem est expressus, ut filius patris imaginem referat. Ita Quintil. 1, 1, 6 *et Laelii filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam traditur;* Claudian. Idyll. 7, 24 *alter in alterius redditur ore parens;* in Prob. et Olybr. coss. 215 *illi glauca nitent hirsuto lumina vultu, caeruleis infecta notis, reddentia patrem Oceanum.* Plura exempla sunt in notis interpretum ad Sil. Ital. 2, 634. Notio translata est ab aqua aliisque rebus, quae

pro speculo sunt, quod *reddere imagines* ait Quintil. 11, 3, 68.

603. huius vulnificis satira ludente Camenis i. e. Turnus non potior est, quam satira huius Lucilli (non Decii, quem falso inter poëtas satiricos a Casaubono de sat. poës recenseri annotat Wernsdorfius), quae vulnificis Camenis ludit. Sic enim dixit *ludere Camenis*, ut Virg. Eclog. 6 init. *prima Syracosio dignata est ludere versu nostra Thalia;* Ovid. Trist. 2, 538 *Bucolicis iuvenis luserat ante modis;* Claud. laud. Herc. 15 *sed cur mihi lentis ludis adhuc, Cyrrhaee, modis.* Commemoravi Wernsdorfii causa, qui *satira ludente* coniungebat, interpretatus, opinor, cum satira ludente. Nec sine causa addit *vulnificas* Camenas, ut Lucillum eo genere satirae usum esse significet, quod severe hominum mores perstringeret. Turnus autem poëta satiricus vixit sub Vespasiano, Tito, Domitiano, eiusque mentio est apud scholiastam ad Iuvenal. 1, 20 et 1, 70; apud Mart. 7, 97, 8; 11, 10; Sidon. Apoll. Carm. 9, 267. Fragmenta eius collecta sunt a Wernsdorfio in Poët. Lat. Min. T. III p. 59.

605. censoria lima. Censura postquam e re publica sublata est, mansit apud eos, qui severe de hominum moribus iudicarent, ut Trebell. Pollio Gallien. 3 *constabat autem censuram patris eum ferre non potuisse;* Iul. Capit. Marc. Aurel. 22 *res in Sequanis turbatas censura et auctoritate repressit*, imprimis autem apud poëtas satiricos, qui carminibus veterem disciplinam restituere volebant, de quibus Mart. Epigr. 1, 35, 9 *numquid dura tibi nimium censura videtur?* Idem *limam censoriam* satirae tribuit 5, 80, 12 *quem censoria cum meo Severo docti lima momorderit Secundi.* Paulo post scripsimus *restituit* pro eo, quod usque ad Castalionem fuerat *instituit*, adiuti cod. nostri auctoritate.

607. non olim Harpyias? Sequor Burmannum

et Wernsdorfium. Nam parum aptum, quod Castalio et Vossius de arte grammat. II, 2, p. 168 emendant *namque olim*, quoniam non eiusdem semper hominis est, carminibus mores hominum castigare et iustum ac severum esse in magistratu. Simlerianum *nam olim* vitiosum; Barthius et Dammius legunt *nunc-olim* cum ellipsi quadam sententiae, ut supra v. 307; Heinsius *nunc olim* coniungit, ut sit *et nunc et olim*, ut apud Virg. Aen. 4, 627 *nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires;* Kappius denique *non olim* separat a ceteris, ut sit *olim non ita erat.* Sacri-arbiter auri est comes sacrarum largitionum, de quo vide supra ad v. 582. Harpyias vocat eos, qui, ut loquitur haec aetas, sub dispositione comitis sacrarum largitionum sunt, praepositos thesaurorum, rationales per provincias, ceterosque, de quibus dictum est in Observat. p. 75. Etiam alii poëtae Harpyiis ad homines rapaces et furaces describendos utuntur, ut Iuvenal. 8, 129 *et cuncta per oppida curvis ire parat nummos raptura Celaeno;* Sidon. Apoll. Ep. 5, 7 *illi in exactionibus Harpyiae sunt;* Auctor Queroli 3 p. 110 ed. Klinkham. *Harpyias, quaeso, praeteristi, quae semper rapiunt et volant.* De vetere autem Harpyiarum fabula vide Virg. Aen. 3, 213 et Valer. Flacc. 4, 425. Illud autem h. l. notabile, quod poëta, alias diligentissimus in rebus metricis, Harpyiae vocem quattuor syllabis effert, cum soleat contrahi in tres, ut Ovid. Met. 3, 215 *et natis comitata Harpyia duobus;* item similia vocabula Ilithyiae et Orithyiae. Vide Burmannum ad Propert. 1, 20, 31. Nec tamen ideo putavi obtemperandum esse Forcellino in lexico, qui Harpuïas latina quasi forma scribi iubet, quoniam in versu insequenti ceterorum poëtarum consuetudinem servare videtur Rutilius.

610. glutineo. Sic nove Rutilius pro eo, quod alii dicunt *glutinosus.* Eadem imagine utitur Catullus 25,

9 *quae* (pallium et sudarium et alia) *nunc tuis ab unguibus reglutina ac remitte*, pro qua *piceatam manum* posuit Martial. Epigr. 8, 59 *nec contemne caput; nihil est furacius illo; non fuit Autolyci tam piceata manus.* Paulo supra scripsimus *discerpitur* i. e. distrahitur, pro eo, quod antea falso erat *decerpitur.*

611. quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum, i. e. quae tam callide furantur, ut ipse Argus, cui centum oculos fabulae tribuunt, *luscus* i. e. ad unum oculum redactus, Lynceus, qui acumine aciei excelluisse fertur, oculis omnino captus esse videatur. Paulo post scripsimus marginem codicis nostri secuti inter custodum publica furta volant i. e. volant ac rapiunt, dum ipsi custodes, i. e. comites sacrarum largitionum, furantur et pecuniam publicam avertunt. Manet in ea imagine, qua incepit. Antea quod fuerat *inter custodes p. f. volant*, minus erat aptum, quoniam nec furta volare dici possunt, et imago illa Harpyiarum circumvolantium et unguibus omnia trahentium servanda erat.

613. Briareïa praeda fefellit i. e. praeda, facta ab hominibus, qualis Briareus fuit, *centum cui brachia dicunt centenasque manus* fuisse (Virg. Aen. 10, 565). Confero similiter in simili re dicentem Sidon. Apollin. Ep. 5, 7 *quorum si nares afflaverit uspiam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic et oculos Argi et manus Briarei.* Minus est exquisitum, quod Burmannus et Schraderus emendabant *Briareïa turba*, quod petiverant ex Claud. de rapt. Proserp. 3, 188 *nostros an forte penates appetiit centum Briareïa turba lacertis.*

615. Pisaea ex urbe i. e. ex urbe, quae ab Pisa Elea originem habet. Noli enim *Pisaeus* ad Pisas, Etruriae oppidum, referre, ad quas quod pertinet, *Pisanum* potius nominatur. Vide infra 2, 12; Liv. 40, 43.

Pi-

Pisaeum contra est, quod ab altera illa Pisa proficiscitur. Ita certe Stat. Theb. 6, 555; Lucan. 2, 165; Claud. laud. Seren. 166. De Noto autem nitido dictum est supra ad v. 541, de aptandi verbo ad v. 151.

617. insorduit aether. Rarissimum est verbum insordescere, nec puto alibi legi, nisi apud Sidon. Apoll., cuius unum locum indicavit Wernsdorfius, Ep. 5, 13 init. *si quid forte deiectu caducae frondis agger insorduit;* addo alterum eiusdem scriptoris Ep. 2, 2 ad fin. *si turbo austrinus insorduit.* Verum notio, quae in eo inest, aptissima est; nam *sordidam lucem* dicit Senec. Oedip. 327; *tristia nubila* Ovid. Met. 6, 690; *foedam tempestatem* Virg. Georg. 1, 323; Rutilius v. 632 *piceam nubem.* Quare non opus est emendationibus Burmanni et Schraderi, quorum ille *intectus inhorruit,* hic *contectus inhorruit* malebat; nec inhorrescere h. l. aptum esse iudico. Id enim dicitur inhorrescere, cuius superficies stringitur et horrida, i. e non levis, fit. Quare de mari potissimum poëtae usurpant, ut Pacuv. apud Cic. de orat. 1, 39 et de divinat. 1, 14; Virg. Aen. 3, 193 *et inhorruit unda tenebris;* Petron. 144 *inhorruit mare,* quod idem est, atque apud Lucan. 5, 565 *niger inficit horror terga maris.* Item ubi de aliis rebus dicitur, ut de frumento, Virg. Georg. 1, 314 *cum messis inhorruit,* aut de aëre, Ovid. ex Ponto 3, 3, 9 *cum subito pennis agitatus inhorruit aër;* Valer. Flacc. 3, 348 *ter inhorruit aether, luctificum clangente tuba,* aut de silva, Claud. in Prob. et Olybr. coss. 125 *et inhorruit atrum maiestate nemus,* aut de homine denique, Stat. Theb. 1, 309 *tenuique exceptus inhorruit aura,* semper significat intremiscere perstrictum, quod aperte significat Ovidius in simili verbo Metam. 4, 135 *exhorruit, aequoris instar, quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.* Quamquam etiam nubes horridae dici possunt, et coelum inhorrescere,

ut apud Senec. Thyest. 1078 et Hercul. Oet. 1133 est *atra nube inhorrescat polus*, quoniam tempestate et nubibus levem, quae sereno est, superficiem coelum amittit, nubesque ipsae horridae aspectu sunt. Verum aether nubibus inhorrescere non potest. Sensisse rem videtur Crusius Prob. crit. p. 62, qui coniiciebat *cum subitis contractus nimbus inhorruit austris*, claudicante tamen versu.

619. tempestate maligna i. e. quae, cum mala nondum sit, mala tamen minetur, cui comparari potest Virgilianum Aen. 6, 270 *quale per incertam lunam sub luce maligna est iter in silvis;* nam lux mala essent tenebrae. Itaque freta vocat insanitura, frequenti apud poëtas metaphora, ut Horat. Carm. 3, 4, 30 *insanientem Bosporum;* Virg. Eclog. 9, 43 *insani feriant sine litora fluctus;* Ovid. Her. 18, 28 *insani sit mora longa freti*, ipse Rutilius infra 2, 24 *Tyrrheni rabies Adriacique maris.*

621. otia-navalia. Est, quod hic haereas. Nam vulgo *otium literatum* (Cic. Tuscul. 5, 36, 105) qui agere dicitur, literis, qui *otium studiosum* (Plin. Ep. 1, 22 extr.), studiis literarum vacare intelligitur. Hic autem *otia navalia* sunt intermissione navigandi parata. Eaque, opinor, causa fuit Crusio Prob. crit. p. 62, ut emendari vellet h. l. *otia-nemoralia.* Sed uti recte dixeris otium navigandi i. e. a navigando, quemadmodum apud Plin. nat. hist. 11, 10 est *operis otium* i. e. otium ab opere faciendo, ita otium navale satis videtur esse latinum. Terere autem otium est eius, qui invitus cessat, ut Symmach. Ep. 2, 32 *ego ab omnibus negotiis feriatus triste otium tero*, quem locum citat Wernsdorfius. Adde ea, quae Marklandus ad Stat. Silv. 3, 5, 60 attulit. Paulo post quod Crusius Prob. Crit. p. 62 coniiciebat *sectandisque iuvant arma movenda feris* aut *iuvat bella movere feris*, videtur eum offendisse *membra movere.* Num ipsa locutio?

At est, ut unum afferam locum, apud Lucret. 4, 457 *membra movere nostra videntur.* An, quod miratur, membra potissimum movisse poëtam? At erat fessus sedendo et navigando; venatio autem est *opus utile famae vitaeque et membris*, ut ait Horat. Ep. 1, 18, 49.

623. villicus hospes non est tribunus ille, de quo ante v. 561 dixerat, nec dominus villae Triturritae, quod putat Burmannus; nam eum sine dubio nominasset poëta, si hospitio se excepisset. Sed consuevisse in villis, quae ad vias frequentes sitae erant, esse tabernas deversorias iam supra demonstratum est ad v. 381. Itaque eum, qui hanc tabernam villae Triturritae conduxerat, Rutilius vocat villicum hospitem. Paulo post olidum cubile, quod odorem ferae ibi cubantis emittit, unde a canibus sentitur ac cognoscitur.

625. rara fraude plagarum. Fraudem plagarum dicit plagas fraudulentas, quibus decipiuntur ferae. Paulo autem audacius fraudem ipsam nominavit *raram*, cum retia et plagas et similia rara vocari vulgare sit. Fulmen dentis i. e. fulminei dentes frequenter in apris esse dicuntur, ut Phaedrus 1, 21, 5 *aper fulmineis dentibus;* Ovid. Met. 10, 550 *fulmen habent acres in aduncis dentibus apri;* id. Met. 1, 305 *nec vires fulminis apro, crura nec ablato prosunt velocia cervo;* id. Met. 8, 289 *fulmen ab ore* (apri Calydonii) *venit, frondes afflatibus ardent*, de eodemque apro ibidem 354 *nec fulmine lenius arsit.* Ex eodem autem loco *lacertos* Meleagreos sumpsit, siquidem Ovid. Met. 8, 344, ubi de Meleagro, nobili venatore Calydonio, agit, sic dicit: *cuspis Echionio primum conterta lacerto vana fuit.*

628. laxet nodos Amphitryoniadae i. e. solvat, distendat eius nodos, qui sunt articuli (Plin. nat. hist. 11, (37), 88) sive ligaturae membrorum. Eos item

laxari ait Lucan. 4, 632 de Antaeo *Herculeosque novo laxavit corpore nodos;* et *relaxari* Nemes. Cyneg. 169 *tum membrorum nexus nodosque relaxant.* Respici autem h. l. ad Herculem *Erymanthei sudantem pondere monstri Amphitryoniaden,* ut est apud Valer. Flacc. 1, 374, patet. Pro eo autem, quod in codice nostro est *laxet,* minus recte Onuphrius et Pithoeus scripserunt *laxat,* Heinsius aliquando, cum postea se ipse revocarit, *lasset.*

629. persultat. De sono aut de voce non legitur, nisi apud Isidor. in praef. Hamartig. 10 *vox persultat.* Sed est tamen bona ea locutio. *Resultandi* certe verbo nonnunquam utuntur aut de voce echo reddita, ut Virg. Georg. 4, 50 *vocisque offensa resultat imago,* aut de rebus sonum reddentibus, ut Claud. cons. Olybr. 175 *collesque canoris plausibus impulsi septena voce resultant.* Buccina vero canendi morem in venationibus Wernsdorfius annotat aliunde non esse notum ex scriptoribus venaticis, sed clamore solo significari victoriam, ut Ovid. Met. 8, 419 *gaudia testantur socii clamore secundo;* id. art. amand. 2, 1 *dicite io Paean! Decidit in casses praeda petita meos.* Pro eo autem, quod est *colles,* nescio qua de causa Dammius scripsit *montes.*

630. reportando i. e. dum reportant praedam. Notabilis tamen ablat. gerundii, quo h. l. tempus significatur, ut apud Liv. 5, 43, 7 *Camillus cum diis hominibusque accusandis senesceret;* Tac. Annal. 3, 19 *is finis fuit ulciscenda Germanici morte.* Neque enim aut Dammii ratio videtur vera esse, qui *reportando* dativum esse putat: *praeda nobis levis fit ad reportandum,* aut Barthii, qui *reportandum carmen* echo interpretatur per collium anfractus reddentem missas voces. In editione autem principe cum vitiose esset *reportanda,* Onuphrius et Wernsdorfius recte *reportando,* Castalio, Almeloveenius, Burmannus *re-*

portanti, Heinsius *reportantum* emendarunt. Pompam autem aliquam ductam esse cogita, dum praeeunt buccinatores, qui praedam portant, canentes sequuntur. Confert Burmannus Senec. Hippolyt. 79 *fertur plaustro praeda gementi-repetitque casas rustica longo turba triumpho;* Virg. Georg. 3, 375 *et magno laeti clamore reportant.*

631. madidis-Africus alis. Imitatur Ovid. Met. 1, 264 *madidis Notus evolat alis, terribilem picea tectus caligine vultum.* Idem enim est Africus ac Notus. Vide supra ad v. 616. Continuos-dies est plures deinceps dies, ut apud Claud. de cons. Stilich. 3, 190 *quod tibi continuis resonant convexa diebus.* Diutius enim Namatianum Triturritae commoratum esse ex temporum notatione, quam subiungit, apparet. Vide Observat. p. 10. Negat Africus *dies*, quod picea nube coelum inducit, ut sol terram collustrare nequeat; nam dies non est, nisi cum sol lucet. Ita certe videbatur veteribus, qui diem adeo solem ipsum dixerunt, ut Lucan. 4, 154 *decrescit umbra in medium surgente die;* Claud. rapt. Pros. 1, 274 *merserat unda diem*, saepius. Sententiae comparari potest Claud. VI cons. Hon. 540 *namque ideo pluviis turbaverat omnes ante dies lunamque rudem* (i. e. novam) *madefecerat Auster, ut tibi servatum scirent convexa serenum.* Commemoravi haec Wernsdorfii causa, qui *continuos dies* non recte interpretatur dies continuo serenos.

633. matutinis Hyades occasibus udae i. e. iam Hyades udae fiunt mane occidentes, iam Hyades mane occidunt. Sunt autem Hyades septem stellae in capite Tauri, *sidus vehemens et terra marique turbidum*, ut ait Plin. nat. hist. 18, (26) 66, unde iis graecum nomen a pluendo inditum, (Cic. de nat. deor. 2, 43), quod nomen cum Latini non recte a suibus impositum esse interpretarentur, imperitia appellatas esse Suculas tradit Plin. l. l. Quas quidem mane occidere

docet Columella 11, 2 a. d. XI Cal. Dec. Eodemque tempore Lepus occidit, conditus hiberno imbre i. e. cum hiberno imbre, quoniam occasus eius hiemem et imbres hibernos adducit. Ideo paulo post v. 638 *roscida* praeda dicitur. Est autem Lepus sex stellarum signum, ut veteres quidem putabant, sub sinistrum pedem Orionis, cuius canem, qui maior vocari solet, fugere videtur.

635. magnis fluctibus astrum i. e. quod magnos fluctus excitat, affert, quamquam est *exiguum radiis* i. e quamquam paucis stellis constat. Oppositionem enim, quae est in sententia, non opus est esse etiam in verbis, ut non probem Castalionem, Dammium, Kappium, Wernsdorfium, qui scripserunt *magnum fluctibus astrum*. Paulo post quo madidam-humnm est a quo madefactam. Causam deinde addit, cur nemo, quamdiu Lepus in coelo est, mari utatur. Sequi enim Orionem procellosum, procellas ac tempestates afferentem, quem item *procellosum* dicit Plin. nat. hist. 18, (25) 59, Virgiliusque Aen. 1, 539 *nimbosum*, et Aen 4, 52 *aquosum*. De omnibus autem his, quae commemoravit, sideribus Claud. bell. Gild. 497 *quamvis imbribus humescant Hoedi, nimbosaque Taurum ducat Hyas, totusque fretis descendat Orion, certa fides coeli*. Scripsimus *Oarioni*, soluta forma, ex auctoritate codicis nostri et editionis principis, ut Catull. Carm. 66, 94 *proximus Hydrochoi fulgeat Oarion*. Licebat etiam *Orioni* dicere, quam vocem poëtae ita nonnunquam in fine hexametri ponunt, ut is fiat spondaicus, ut Horat. Carm. 1, 28, 21 *me quoque devexi rapidus comes Orionis*; Lucan. 9, 836 *teste tulit coelo victi decus Orionis*; Claud. VI cons. Hon. 178 *gurgite sidereo subterluit Oriona*.

638. aestiferumque canem roscida praeda fugit i. e. Lepus Sirium sive canem maiorem. Is enim

est *aestifer canis*, ut apud Senec. Oedip. 39. Ascribimus locum ex Arat. Phaen. v. 338

πόσσιν δ' Ὠρίωνος ὑπ' ἀμφοτέροισι λαγῴος
ἐμμενὲς ἤματα πάντα διώκεται· αὐτὰρ ὅγ' αἰεί
Σείριος ἐξόπιθεν φέρεται μετιόντι ἐοικώς,
καί οἱ ἐπαντέλλει καί μιν καταιόντα δοκεύει.

Fabulam leporis in coelum sublati narrat Hygin. Astron. 2, 33 et 3, 22.

641. qualiter cet. Describit tempestatem, quae mare turbabat, eamque tantam fuisse ait, ut in mari interno, in quo exigua aut nulla vis aestus est, idem accideret, quod in Oceano fieri solet, ut accessu aestus mare mediam in terram impellatur, vago tamen salo, quippe quod agrum brevi postquam inundavit, rursus *destituat*, relinquat. Hac quidem aetate, qua subactis Galliis, Britanniis, Hispaniis Oceanus pervius erat Romanorum navibus, ad describendam tempestatem uti licebat aestuum similitudine; primo tamen cum ad Oceanum accederent, summo opere miratos esse Romanos, cum accessus recessusque maris viderent, scribit Caesar bell. Gallic. 4, 29.

643. sive cet. In causas aestuum marinorum inquirit, ut solet fere facere, si quid memorabile in itinere accidit. Totum hunc locum expressit ex Lucano 1, 409 *quaque iacet litus dubium, quod terra fretumque vendicat alternis vicibus, cum funditur ingens Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert. Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet destituatque ferens; an sidere mota secundo Tethyos unda vagae lunaribus aestuet horis: flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, erigat Oceanum fluctusque ad sidera tollat, quaerite, quos agitat mundi labor: at mihi semper tu, quaecunque moves tam crebros causa meatus, ut superi voluere, late*, quem locum non recte a quibusdam interpretibus tentatum atque emendatum esse video. Conferenda sunt, quae

Plin. nat. hist. 2. (79) 99; Pompon. Mel. 3, 1; Senec. nat. quaest. 3, 28, de provid. 1 de eadem re disputant. Tres causas aestuum commemorat Lucanus, ventum ab extremo axe flantem, deinde lunam, tum solem, quarum primam omisit Rutilius, quia non probabat. Alteram sic exprimit: *sive* (pontus) *refluus alio orbe* (i. e. ab alio orbe refluens, ab alio orbe repulsus) *nostro* (orbi) colliditur. Nostrum autem orbem dicit terram, alium Lunam. De eadem causa sic Claudianus VI cons. Hon. 496 *iamque ora Padi relinquit certis ubi legibus advena Nereus aestuat et pronas puppes nunc amne secundo, nunc redeunte vehit: nudataque litora fluctu deserit, Oceani lunaribus aemula damnis.* Non afferenda a Wernsdorfio erat h. l. ea causa, quam exponit Macrobius Somn. Scip. 2, 9. In tertia causa exponenda Rutilius solem omittit, sidera sola commemorat. Vulgaris enim erat apud veteres, et potissimum quidem apud Stoicos opinio, et solem ipsum et cetera sidera undis ex Oceano attractis ali ac refici, de qua Lucanus etiam alibi, ut 9, 313 *sed rapidus Titan, ponto sua lumina pascens;* 10, 258 *nec non Oceano pasci Phoebumque polumque credimus; hunc, calidi tetigit cum brachia cancri, sol rapit atque undae plus, quam quod digerat aër, tollitur.*

COMMENTARIUS

IN

RUTILII CLAUDII NAMATIANI

DE REDITU SUO

LIBRUM SECUNDUM.

1. Nondum longus erat nec multa volumina passus. Praefatur pauca cum modestia ac verecundia, ut carmen suum lectoribus commendet et excuset, quod in duos libros divisum sit. Nam iustum spatium libri nondum esse expletum; sed timuisse se longitudinem continui operis. Volumen enim h. l. esse apparet non, ut vulgo, librum circa baculum volutum, sed ipsum illud circumvolvi, rariore significatione, quae invenitur tamen in disparibus rebus apud Plin. nat. hist. 7 (45) 46 *in divo quoque Augusto magna sortis humanae reperiuntur volumina;* Ovid. Met. 2, 71 *sideraque alta trahit celeriqué volumine torquet.*

3. taedia continuo labori. Hoc dicit: timuit liber meus, ne eos, qui legerent, taederet continui laboris iique ei cederent, legere desinerent. *Continuum* laborem dicit carmen suum legendum, si non esset divisum per duo volumina, sed uno volumine contineretur; *taedia* ipsos homines, quos taedet. Vide ad 1, 19. Quod autem Wernsdorfius scripsit *timui*, non opus est. Quoties enim poëtae libros loquentes indu-

cunt! Atque ipse Rutilius modo *iure suo poterat longior esse liber*.

4. iuge-opus i. e. *continuum*, ut modo dixit, deterioris latinitatis more. Nam boni scriptores de aqua tantum utuntur, eiusque similitudinem sequitur Plaut. Pseudol. 1, 1, 82 *nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo*. Sed posterioribus temporibus de qualibet re usurpabatur, ut apud Gell. 12, 8 extr. *iugi concordia*; Eutrop. 8, 13 *iuge triennium*; imprimis autem apud Ictos. Vide Glossar. Nom. Theod. Cod. ed. Gothofr. s. v. Apte autem huius loci sententiae Barthius comparat Prudentium contra Symmachum libr. 1 extr. *sed iam tempus iter longi cohibere libelli, ne tractum sine fine ferat fastidia carmen*.

8. qui notat inscriptus milia crebra lapis i. e. lapis miliarius, qui inscriptione sua saepe indicat, quot milia itineris confecta sint, quales a temporibus Gracchorum (Plutarch. C. Gracch. 7) per singula milia in viis publicis positi esse solebant. Exprimi a Namatiano h. l. annotat Pithoeus Quintilianum 4, 5 *non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia*.

9. partimur trepidum-ruborem. Rubore inficitur vultus poëtae, cum scribere incipit, quia *trepidat*, timet, ne nolint lectores legere, quae scripserit. Quem ut minueret, partitus est carmen suum per opuscula bina i. e. per binos libros; itaque etiam ruborem ipsum partitur ac minuit. Vides igitur rubore significari ipsum carmen, solita Rutilii consuetudine. Vide supra v. 3 et 1, 19. Redit tamen poëta ad propriam ruboris significationem, cum addit quem satius fuerat sustinuisse semel. Est enim sustinere ruborem, ut *sollicitudinem curamque sustinere* apud Cic. Ep. 10, 4; *malum sustinere* apud eundem ad Att. 11, 11, similia. Satius autem fuerat semel erubescere

i. e. unum tantum librum scribere, ut iustum spatium voluminis expleretur. Confero, quae Epistol. 11 Ausonius scribit ad Paulum: *versus meos utili et conscio sibi pudore celatos, carmine tuo et sermone praemissis, dum putas elici, repressisti. — Hoc poposcisti atque id ego malui, tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes: ego autem, quaecunque fortuna esset, semel erubescerem.* Non igitur opus esse puto emendationibus, quas Kappius et Pithoeus adhibent, quorum ille *pudorem*, hic *timorem* corrigebat. Nam operarum errore videtur factum esse, quod in notis eiusdem editionis Pithoeanae est *timorem*, in Onuphriana *rumorem*. At Kappius etiam aliud novabat, ut hoc distichon secundo loco collocaret, ea, opinor, re motus, quod illud, quod est *timuit*, ad ruborem referri malebat; de qua re iam dictum est.

11. nimbosa maris obsidione i. e. ea re, quod mare obsidebatur, tenebatur nimbis ac tempestatibus. Recte comparat Wernsdorfius Plin. Panegyr. 81 de feris venatione submotis: *submoto campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor*. Proximo versu non putavimus recipiendam esse emendationem Graevii, a Dammio, Kappio, Wernsdorfio probatam, *Pisano e portu*. Nam et alii poëtae ablativo solo ad locum, unde quid proficiscatur, designandum utuntur, et Rutilius ipse supra 1, 643 *sive alio orbe refluus*.

13. radiis crispantibus. Malo radios mare, quam se ipsos crispantes intelligere, quod suadet Wernsdorfius. Illa certe ratione Valer. Flacc. 1, 310 *Minyas simul obtulit omnes alma novo crispans pelagus Tithonia Phoebo*. De crispato mari auctor carminis apud Wernsdorfium Poët. lat. min. Tom. IV, 7, 19 *ac tantum tremulo crispentur caerula motu*; Gellius 18, 11 *ventus mare caeruleum crispicans nitefacit*. Quamquam etiam crispans vocatur, quod cri-

spatur proprie, ut *crispans buxus* apud Plin. nat. hist. 16, 28; *crispante-crepitu* apud eund. 2, 84; *crispans nasus* apud Pers. 3, 87. Ad ea, quae insequuntur, comparat Wernsdorfius eiusdem carminis, quod paulo supra laudavit, v. 24 *te sulcante viam rostro submurmuret unda.* Etiam Virgilius Aen. 10, 213 *murmurat unda*, et saepe.

15. Apennini devexa i. e. extremae partes Apennini montis, quae declives sunt atque in planitiem descendunt, quemadmodum Lucan. 2, 429 Apennino *devexas Alpes* excipi ait i. e. extremas partes Alpium continuari Apennino. Notum est autem Apenninum paulo supra Pisas ad mare accedere et in promontorium quoddam excurrere, quem poëta vocat montem aërium i. e. praealtum, eo usus epitheto, quo constanter in Alpibus utuntur, ut Virg. Georg. 3, 474 *aërias Alpes*, Ovid. Met. 2, 226 *aëriaeque Alpes et nubifer Apenninus*, quos sequitur Sil. Ital. 1, 128 et 371; sed idem 4, 740 *protinus aërii praeceps rapit aggere montis* de Apennino. Confero Strabonem 5, 1 ταῦτα (τὰ Ἀπέννινα ὄρη) ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐμβάλλει, στενὴν παραλίαν ἀπολιπόντα· εἶτα ἀναχωροῦντα εἰς τὴν μεσόγαιαν κατ' ὀλίγον, ἐπειδὰν φέρηται πρὸς τὴν Πισάτιν, ἐπιστρέφει πρὸς ἕω etc., quare Lucan. 2, 400 *collesque* (Apenninos) *coërcent hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae.* Vide ad v. 29.

17. Italiam, rerum dominam, ut Virg. Aen. 1, 282 *Romanos, rerum dominos.* Vide supra ad 1, 194. Cingere autem visu est ambire quasi oculis, qui duces sunt animo, ut deinde omnem Italiam in unius figurae similitudinem redigere atque ita intueri possis, quod ait deinde *totam pariter cernere mente.* Simile est apud Claud. bell. Gild. 356 *namque procul Libycos venatu cingere montes* i. e. ambire venando montes; Lucan. 9, 373 *et terra cingere Syrtim* i. e.

ambire terrestri itinere; plane autem cum hoc convenit Sabin. Ep. 2, 49 *et quotiens oculis circumdat sidera.* Quare, quae Heinsius ad Claud. bell. Gild. 356 coniecit *iungere* vel *stringere*, non opus sunt, ex quibus hoc ne aptum quidem esse arbitror, quoniam obiter percurrere significat.

19. quernae similem-frondi. Idem de Italia dicit Plin. nat. hist. 3, 5 *est ergo folio, maxime querno, assimilata, multo proceritate amplior quam latitudine*, ex eoque Solin. c. 8 et Martian. Capell. libr. 8. Minus recte alii Italiam triangulo comparaverunt, cuius basim Alpium montes, verticem vero Leucopetram promontorium ad fretum Siculum esse volebant. Vide Cluver. Ital. antiq. p. 24 sqq. Est autem hic mos veterum, apud quos pictarum tabularum rarus vel nullus erat usus, ut terrarum figuras ex rerum vulgo notarum similitudine adumbrarent. Affert alias aliquas similitudines, quibus veteres geographi utebantur, h. l. Wernsdorfius, ex quibus unam hanc cito, quod Priscianus Perieges. 12 de toto orbe terrarum dicit: *artatur rapidos cursus ad solis utrinque, assimilis fundae*, quo illustrantur etiam ea, quae h. l. insequuntur. Convenientem autem sinum intellige coëuntem, utrumque latus iungentem, non convenientem cum similitudine quernae frondis, quod Dammio placuit.

21. milia per longum decies centena feruntur. De longitudine Italiae Plinius nat. hist. 3, 5 ita tradit: *patet longitudine ab Alpino fine Praetoriae Augustae* (quae urbs est in Salassis, hodie Aosta) *per urbem* (Romam) *Capuamque cursu meante Rhegium oppidum decies centena et viginti passuum.* Cf. eundem 4, 37. Hanc computationem Rutilius secutus est, nisi quod, ut poëtae licebat, viginti passus, quos versu comprehendere difficile erat, omisit. Quod autem *teri* milia ait, significat non eam longi-

docet Columella 11, 2 a. d. XI Cal. Dec. Eodemque tempore Lepus occidit, conditus hiberno imbre i. e. cum hiberno imbre, quoniam occasus eius hiemem et imbres hibernos adducit. Ideo paulo post v. 638 *roscida* praeda dicitur. Est autem Lepus sex stellarum signum, ut veteres quidem putabant, sub sinistrum pedem Orionis, cuius canem, qui maior vocari solet, fugere videtur.

635. magnis fluctibus astrum i. e. quod magnos fluctus excitat, affert, quamquam est *exiguum radiis* i. e quamquam paucis stellis constat. Oppositionem enim, quae est in sententia, non opus est esse etiam in verbis, ut non probem Castalionem, Dammium, Kappium, Wernsdorfium, qui scripserunt *magnum fluctibus astrum*. Paulo post quo madidam-humnm est a quo madefactam. Causam deinde addit, cur nemo, quamdiu Lepus in coelo est, mari utatur. Sequi enim Orionem procellosum, procellas ac tempestates afferentem, quem item *procellosum* dicit Plin. nat. hist. 18, (25) 59, Virgiliusque Aen. 1, 539 *nimbosum*, et Aen 4, 52 *aquosum*. De omnibus autem his, quae commemoravit, sideribus Claud. bell. Gild. 497 *quamvis imbribus humescant Hoedi, nimbosaque Taurum ducat Hyas, totusque fretis descendat Orion, certa fides coeli*. Scripsimus *Oarioni*, soluta forma, ex auctoritate codicis nostri et editionis principis, ut Catull. Carm. 66, 94 *proximus Hydrochoi fulgeat Oarion*. Licebat etiam *Orioni* dicere, quam vocem poëtae ita nonnunquam in fine hexametri ponunt, ut is fiat spondaicus, ut Horat. Carm. 1, 28, 21 *me quoque devexi rapidus comes Orionis*; Lucan. 9, 836 *teste tulit coelo victi decus Orionis*; Claud. VI cons. Hon. 178 *gurgite sidereo subterluit Oriona*.

638. aestiferumque canem roscida praeda fugit i. e. Lepus Sirium sive canem maiorem. Is enim

est *aestifer canis*, ut apud Senec. Oedip. 39. Ascribimus locum ex Arat. Phaen. v. 338

κοσσὶν δ' Ὠρίωνος ὑπ' ἀμφοτέροισι Λαγωός
ἐμμενὲς ἤματα πάντα διώκεται· αὐτὰρ ὅγ' αἰεί
Σείριος ἐξόπιθεν φέρεται μετιόντι ἐοικώς,
καί οἱ ἐπαντέλλει καί μιν κατιόντα δοκεύει.

Fabulam leporis in coelum sublati narrat Hygin. Astron. 2, 33 et 3, 22.

641. qualiter cet. Describit tempestatem, quae mare turbabat, eamque tantam fuisse ait, ut in mari interno, in quo exigua aut nulla vis aestus est, idem accideret, quod in Oceano fieri solet, ut accessu aestus mare mediam in terram impellatur, vago tamen salo, quippe quod agrum brevi postquam inundavit, rursus *destituat*, relinquat. Hac quidem aetate, qua subactis Galliis, Britanniis, Hispaniis Oceanus pervius erat Romanorum navibus, ad describendam tempestatem uti licebat aestuum similitudine; primo tamen cum ad Oceanum accederent, summo opere miratos esse Romanos, cum accessus recessusque maris viderent, scribit Caesar bell. Gallic. 4, 29.

643. sive cet. In causas aestuum marinorum inquirit, ut solet fere facere, si quid memorabile in itinere accidit. Totum hunc locum expressit ex Lucano 1, 409 *quaque iacet litus dubium, quod terra fretumque vendicat alternis vicibus, cum funditur ingens Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert. Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet destituatque ferens; an sidere mota secundo Tethyos unda vagae lunaribus aestuet horis: flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, erigat Oceanum fluctusque ad sidera tollat, quaerite, quos agitat mundi labor: at mihi semper tu, quaecunque moves tam crebros causa meatus, ut superi voluere, late*, quem locum non recte a quibusdam interpretibus tentatum atque emendatum esse video. Conferenda sunt, quae

Plin. nat. hist. 2. (79) 99; Pompon. Mel. 3, 1; Senec. nat. quaest. 3, 28, de provid. 1 de eadem re disputant. Tres causas aestuum commemorat Lucanus, ventum ab extremo axe flantem, deinde lunam, tam solem, quarum primam omisit Rutilius, quia non probabat. Alteram sic exprimit: *sive* (pontus) *refluus alio orbe* (i. e. ab alio orbe refluens, ab alio orbe repulsus) *nostro* (orbi) colliditur. Nostrum autem orbem dicit terram, alium Lunam. De eadem causa sic Claudianus VI cons. Hon. 496 *iamque ora Padi relinquit certis ubi legibus advena Nereus aestuat et pronas puppes nunc amne secundo, nunc redeunte vehit: nudataque litora fluctu deserit, Oceani lunaribus aemula damnis.* Non afferenda a Wernsdorfio erat h. l. ea causa, quam exponit Macrobius Somn. Scip. 2, 9. In tertia causa exponenda Rutilius solem omittit, sidera sola commemorat. Vulgaris enim erat apud veteres, et potissimum quidem apud Stoicos opinio, et solem ipsum et cetera sidera undis ex Oceano attractis ali ac refici, de qua Lucanus etiam alibi, ut 9, 313 *sed rapidus Titan, ponto sua lumina pascens;* 10, 258 *nec non Oceano pasci Phoebumque polumque credimus; hunc, calidi tetigit cum brachia cancri, sol rapit atque undae plus, quam quod digerat aër, tollitur.*

montium profutura?; similiter Claud. in Ruf. 2, 28 *alii per Caspia claustra invadunt Orientis opes* i. e. *per claustra portarum Caspiarum*, ut ait Tac. Hist. 1, 6, 4; Claud. in Eutrop. 1, 249 *extra Cimmerias, Taurorum claustra, paludes*. Quod autem est *montanis viis*, ipse supra explicavit, 1, 38 *cautibus alta rigent*, quo loco plura dicta sunt, ut prorsus ineptum sit, quod coniecit Schraderus *montanis feris*.

35. invidiam i. e. ne invideretur Italiae ab aliis populis, non, quod Dammio placebat, ne invidiose sibi incuria et negligentia obiiceretur, si non satis Italiam munisset. Nam ea, quia abundabat omni frugum genere, cupiditates populorum septemtrionalium excitabat, ut vide, quae de causis, cur Galli invaserint, narrat Liv. 5, 33. Arctoas autem minas intellige populos septemtrionales Italiae imminentes. Confero Liv. 5, 34 Gallis in Italiam transeuntibus *Alpes inde oppositae erant* cet. et Iuvenal. 10, 152 Hannibali *opposuit natura Alpemque nivemque*, quem locum Castalio laudavit. Paulo post vitalia dicit eas partes corporis, quibus vita ipsa continetur, ut cor, iecur, cerebrum, ut Senec. de ira 2, 1 *in corpore nostro ossa nervique et articuli, firmamenta totius et vitalia, minime speciosa visu, prius ordinantur*, quae non semel inclusit natura i. e. pluribus tegumentis sepsit, ut Roma munita est non Alpibus modo, sed Apennino etiam. Plane enim abhorret ab huius loci sententia, quod Heinsius corrigebat *nec temere inclusit*. Nec magis probo Wernsdorfium, qui malebat *quae pretiosa dedit* pro eo, quod est *tulit*. Ferre enim saepe idem est quod proferre, gignere.

41. quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum. De Stilichone incipit dicere, in quem gravissimis criminibus invehitur. Exprobrat autem ei hoc, quod barbaris Romam prodiderit, atque, ut id eo tutius faceret, ante libros Sibyllinos cremarit. De utra-

cant! Atque ipse Rutilius modo *iure suo poterat longior esse liber*.

4. iuge-opus i. e. *continuum*, ut modo dixit, deterioris latinitatis more. Nam boni scriptores de aqua tantum utuntur, eiusque similitudinem sequitur Plaut. Pseudol. 1, 1, 82 *nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo*. Sed posterioribus temporibus de qualibet re usurpabatur, ut apud Gell. 12, 8 extr. *iugi concordia*; Eutrop. 8, 13 *iuge triennium*; imprimis autem apud Ictos. Vide Glossar. Nom. Theod. Cod. ed. Gothofr. s. v. Apte autem huius loci sententiae Barthius comparat Prudentium contra Symmachum libr. 1 extr. *sed iam tempus iter longi cohibere libelli, ne tractum sine fine ferat fastidia carmen*.

8. qui notat inscriptus milia crebra lapis i. e. lapis miliarius, qui inscriptione sua saepe indicat, quot milia itineris confecta sint, quales a temporibus Gracchorum (Plutarch. C. Gracch. 7) per singula milia in viis publicis positi esse solebant. Exprimi a Namatiano h. l. annotat Pithoeus Quintilianum 4, 5 *non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia*.

9. partimur trepidum-ruborem. Rubore inficitur vultus poëtae, cum scribere incipit, quia *trepidat*, timet, ne nolint lectores legere, quae scripserit. Quem ut minueret, partitus est carmen suum per opuscula bina i. e. per binos libros; itaque etiam ruborem ipsum partitur ac minuit. Vides igitur rubore significari ipsum carmen, solita Rutilii consuetudine. Vide supra v. 3 et 1, 19. Redit tamen poëta ad propriam ruboris significationem, cum addit quem satius fuerat sustinuisse semel. Est enim sustinere ruborem, ut *sollicitudinem curamque sustinere* apud Cic. Ep. 10, 4; *malum sustinere* apud eundem ad Att. 11, 11, similia. Satius autem fuerat semel erubescere

i. e. unum tantum librum scribere, ut iustum spatium voluminis expleretur. Confero, quae Epistol. 11 Ausonius scribit ad Paulum: *versus meos utili et conscio sibi pudore celatos, carmine tuo et sermone praemissis, dum putas elici, repressisti. — Hoc poposcisti atque id ego malui, tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes: ego autem, quaecunque fortuna esset, semel erubescerem.* Non igitur opus esse puto emendationibus, quas Kappius et Pithoeus adhibent, quorum ille *pudorem*, hic *timorem* corrigebat. Nam operarum errore videtur factum esse, quod in notis eiusdem editionis Pithoeanae est *tumorem*, in Onuphriana *rumorem*. At Kappius etiam aliud novabat, ut hoc distichon secundo loco collocaret, ea, opinor, re motus, quod illud, quod est *timuit*, ad ruborem referri malebat; de qua re iam dictum est.

11. nimbosa maris obsidione i. e. ea re, quod mare obsidebatur, tenebatur nimbis ac tempestatibus. Recte comparat Wernsdorfius Plin. Panegyr. 81 de feris venatione submotis: *submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor.* Proximo versu non putavimus recipiendam esse emendationem Graevii, a Dammio, Kappio, Wernsdorfio probatam, *Pisano e portu.* Nam et alii poëtae ablativo solo ad locum, unde quid proficiscatur, designandum utuntur, et Rutilius ipse supra 1, 643 *sive alio orbe refluus.*

13. radiis crispantibus. Malo radios mare, quam se ipsos crispantes intelligere, quod suadet Wernsdorfius. Illa certe ratione Valer. Flacc. 1, 310 *Minyas simul obtulit omnes alma novo crispans pelagus Tithonia Phoebo.* De crispato mari auctor carminis apud Wernsdorfium Poët. lat. min. Tom. IV, 7, 19 *ac tantum tremulo crispentur caerula motu;* Gellius 18, 11 *ventus mare caeruleum crispicans nitefacit.* Quamquam etiam crispans vocatur, quod cri-

cunt! Atque ipse Rutilius modo *iure suo poterat longior esse liber.*

4. iuge-opus i. e. *continuum*, ut modo dixit, deterioris latinitatis more. Nam boni scriptores de aqua tantum utuntur, eiusque similitudinem sequitur Plaut. Pseudol. 1, 1, 82 *nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo.* Sed posterioribus temporibus de qualibet re usurpabatur, ut apud Gell. 12, 8 extr. *iugi concordia;* Eutrop. 8, 13 *iuge triennium;* imprimis autem apud Ictos. Vide Glossar. Nom. Theod. Cod. ed. Gothofr. s. v. Apte autem huius loci sententiae Barthius comparat Prudentium contra Symmachum libr. 1 extr. *sed iam tempus iter longi cohibere libelli, ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.*

8. qui notat inscriptus milia crebra lapis i. e. lapis miliarius, qui inscriptione sua saepe indicat, quot milia itineris confecta sint, quales a temporibus Gracchorum (Plutarch. C. Gracch. 7) per singula milia in viis publicis positi esse solebant. Exprimi a Namatiano h. l. annotat Pithoeus Quintilianum 4, 5 *non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia.*

9. partimur trepidum-ruborem. Rubore inficitur vultus poëtae, cum scribere incipit, quia *trepidat*, timet, ne nolint lectores legere, quae scripserit. Quem ut minueret, partitus est carmen suum per opuscula bina i. e. per binos libros; itaque etiam ruborem ipsum partitur ac minuit. Vides igitur rubore significari ipsum carmen, solita Rutilii consuetudine. Vide supra v. 3 et 1, 19. Redit tamen poëta ad propriam ruboris significationem, cum addit quem satius fuerat sustinuisse semel. Est enim sustinere ruborem, ut *sollicitudinem curamque sustinere* apud Cic. Ep. 10, 4; *malum sustinere* apud eundem ad Att. 11, 11, similia. Satius autem fuerat semel erubescere

i. e. unum tantum librum scribere, ut iustum spatium voluminis expleretur. Confero, quae Epistol. 11 Ausonius scribit ad Paulum: *versus meos utili et conscio sibi pudore celatos, carmine tuo et sermone praemissis, dum putas elici, repressisti. — Hoc poposcisti atque id ego malui, tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes: ego autem, quaecunque fortuna esset, semel erubescerem.* Non igitur opus esse puto emendationibus, quas Kappius et Pithoeus adhibent, quorum ille *pudorem*, hic *timorem* corrigebat. Nam operarum errore videtur factum esse, quod in notis eiusdem editionis Pithoeanae est *tumorem*, in Onuphriana *rumorem*. At Kappius etiam aliud novabat, ut hoc distichon secundo loco collocaret, ea, opinor, re motus, quod illud, quod est *timuit*, ad ruborem referri malebat; de qua re iam dictum est.

11. nimbosa maris obsidione i. e. ea re, quod mare obsidebatur, tenebatur nimbis ac tempestatibus. Recte comparat Wernsdorfius Plin. Panegyr. 81 de feris venatione submotis: *submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor.* Proximo versu non putavimus recipiendam esse emendationem Graevii, a Dammio, Kappio, Wernsdorfio probatam, *Pisano e portu.* Nam et alii poëtae ablativo solo ad locum, unde quid proficiscatur, designandum utuntur, et Rutilius ipse supra 1, 643 *sive alio orbe refluus.*

13. radiis crispantibus. Malo radios mare, quam se ipsos crispantes intelligere, quod suadet Wernsdorfius. Illa certe ratione Valer. Flacc. 1, 310 *Minyae simul obtulit omnes alma novo crispans pelagus Tithonia Phoebo.* De crispato mari auctor carminis apud Wernsdorfium Poët. lat. min. Tom. IV, 7, 19 *ac tantum tremulo crispentur caerula motu;* Gellius 18, 11 *ventus mare caeruleum crispicans nitefacit.* Quamquam etiam crispans vocatur, quod cri-

serp. 2, 44 *hic-solem-nasci fecerat.* Quare non recte Heinsius *quicquid subiecerat* (vel *suffecerat*) *ipse timori,* Burmannus *quicquid sibi fecerat ipse timoris* coniiciebant, quae ne a sententia quidem recta sunt.

47. visceribus i. e. ipsi Italiae, quae nuda est i. e. nullo amplius montium praesidio tecta. Similiter Claudian. bell. Get. 577 de priore bello Alarici: *visceribus mediis ipsoque in corde videtis bella geri. Patrem clipeis defendite Tibrin.* Liberiorem autem dolum dicit paulo post, quia, cum Gothi intra viscera nuda admissi essent, iam minus Stilicho impediebatur, ne ea, quae vellet, perficeret. Sic recte Castalio, secus Dammius et Wernsdorfius, qui liberiorem a periculi metu, tutiorem interpretantur.

49. satellitibus pellitis i. e. Gothis, quibuscum Stilicho contra imperium coniurasse putabatur. *Satellites* enim hac aetate sunt ii, quibuscum coniures, ut in Theod. Cod. 7, 8, 7; 9, 40, 19 et de ipso Stilichone 9, 42, 20 *Proscriptorum satellitumque fortunas aerario nostro iubemus accedere;* ibid. l. 22 *Qui suas opes praedoni publico* (i. e. Stilichoni) *vel eius filio* (Eucherio) *ceterisque satellitibus dederunt.* Vocantur autem Gothi *pelliti* constanti epitheto. Iam Ovid. ex Ponto 4, 10 init. *hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur aestas litore pellitos inter agenda Getas;* Claud. bell. Get. 481 *crinigeri sedere patres, pellita Getarum curia;* id. IV cons. Hon. 466 *moritur pellita iuventus;* id. in Ruf. 2, 85 *maerent captivae pellito iudice leges;* Sidon. Apoll. Ep. 1, 2 *pellitorum turba satellitum,* ad quem locum Savaro plura attulit. Vide etiam Gothofred. ad Theod. Cod. 14, 11, 4. Pro eo autem, quod est *patebat,* Crusius Probab. Crit. p. 63 coniecit *parebat,* quod et vitiosum est nec sententiam aptam efficit.

52. Sibyllinae fata-opis i. e. effata, oracula Sibyllae, a qua in rebus dubiis Romani opem petere

consuerant. Confero Virg. Aen. 6, 72, ubi Aeneas sic dicit: *hic ego namque tuas* (Sibyllae) *sortes arcanaque fata, dicta meae genti, ponam.* Quod *Sibyllinam opem* dicit, quae potius erat Sibylla opitulans, facit ex more aetatis suae, de quo explicatum est ad 1, 19. De ipsa autem re, quod libros Sibyllinos a Stilichone crematos esse ait, disputavimus in Observat. p. 88 sqq. Videtur enim omnino recte tradidisse Namatianus, cum in tanta re nec decipere alios nec ipse decipi posset. Quare non probo Wernsdorfium, qui in peculiari, quem hac de re scripsit, excursu poëtice censet rem esse auctam, ut exempla Althaeae et Nisi adhiberi possent. Nec causa erat nulla, ut Stilicho imprimis hoc nomine accusaretur. Nam etiamsi non Stilicho ipse iussit comburi, tamen et pleraque tum illo auctore geri constabat, et haec praecipue, quae ad evertanda sacra paganorum facta sunt, illi imputata esse colligitur ex iis, quae post eius caedem accidisse tradit Augustinus ep. 129. Hoc recte docuit Wernsdorfius, libros Sibyllinos ideo videri esse sublatos, quia appropinquante urbis ruina ad illos praecipue confugiebant homines superstitiosi, atque illinc religionis ac calamitatis causas repetebant. Quare Claudianus bell. Get. 228, ubi de perturbatione, quae Romae Alarico anno 402 adventante fuerit, agit, sic dicit *tum somnia vulgo narrari; tum monstra deum, monitusque sinistri: quid meditentur aves, quid cum mortalibus aether fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat fatidico custos Romani carbasus aevi* etc. Quo loco cum ultima librorum Sibyllinorum inveniatur mentio, videntur intra illum annum et intra an. 408, quo Stilicho periit, combusti esse. Mirum autem, quod nusquam praeter hunc locum apud veteres scriptores eorum interitus commemoratur. Quod Servatius Gallaeus de Sibyllis p. 278 duos hos versus alibi ita legi ait: *ne tantum patriis saeviret prodi-*

tor armis, *sancta Sibyllinae fata cremavit opis*, id finxisse videtur homo, ut ei, quod ipse excogitarat, auctoritatem ac fidem adderet.

53. Althaeam, Thestii filiam, Oenei regis Calydonii coniugem, Meleagri matrem, cuius fabula nota. Sequitur poëta Apollodorum 1, 7, 8 et Ovidium Met. 8, 270 sqq.; nam ait *consumpti funere torris* i. e. propter funus, propter caedem Meleagri, quam consumptus, combustus torris fatalis effecit. Homerus Il. 9, 580 et alii aliter tradunt.

54. Niseum crinem, Nisi regis Megarensis capillos, ex quibus fatum Megarorum pendebat, quos filiam Scyllam aiunt, cum pater a Minoe obsideretur, hostis amore captam, abscidisse, quo facto puellam, a Minoë spretam in avem, Cirim nomine, mutatam esse. Nota est fabula, quam imprimis narrat Ovid. Met. 8 init.; atque de eadem re sub Virgilii nomine fertur peculiare carmen Ciris. In quo carmine quae leguntur inde a versu 400 querelae, eas videtur significare Rutilius, cum *flere* dicit aves, nam de fletibus Scyllae aut Ciris nihil equidem inveni alibi. Non opus est autem *Niseum crimen* i. e. crimen in Niso commissum, ut Onuphrius primum, proxime Burmannus scripserunt. Nam in ipso crine abscindendo Scyllae crimen positum erat.

55. fatalia pignora regni. Recte *fatales* dicit libros Sibyllinos, ut Liv. 22, 9, quoniam in iis fata populi Romani perscripta sunt (cf. supra ad v. 52), minus recte dicit *pignora regni*, quibus Sibyllae carmina proprie non annumerabantur. Vide Servium ad Virg. Aen. 7, 108. Sed potest ita dicere, quia, si remedia malorum in iis significata inveniebantur, certe imperium etiam tuebantur, idque aeternum fore spondebant.

56. plenas praecipitare colos i. e. colos, ex quibus longissima fila duci poterant, praecipites deii-

cere. Eadem ratione Stat. Theb. 5, 150 *idem animus solare domos iuvenumque senumque praecipitare colos;* similiter Lucan. 7, 51 *sua quisque et publica fata praecipitare cupit;* ibid. 7, 352 *praecipitare meam fatis potuere senectam.* De eo autem, quod est *colos*, vide supra ad 1, 134.

57. Tartarei-Neronis, qui propter scelera, postquam mortuus est, non in Elysium, sed in Tartarum, malorum sedem, missus est; nam Virg. Aen. 6, 542 *at laeva malorum exercet poenas et ad impia Tartara mittit.* Itaque *Tartareum* dicitur, quod abominandum, quod execrabile est, ut Ammian. Marcell. 15, 6, 1 *Paulus, Tartareus ille delator;* id. 28, 1, 10 *Tartareus cognitor;* id. 29, 2, 6 *Heliodorus, Tartareus ille malorum omnium cum Palladio fabricator;* Claud. bell. Gild. 180 *splendet Tartareo furialis mensa paratu;* id. bell. Get. 144 *quid dudum inflare moraris Tartaream, Bellona, tubam?*, quod sumptum est ex Virgil. Aen. 7, 513, ubi Alecto *cornu recurvo Tartaream intendit vocem.* Simili ratione dicitur *Stygius:* Ovid. Met. 3, 75 *quique halitus exit ore niger Stygio;* Claud. in Ruf. 1, 304 *Stygiam pestem.* Paulo post consumat Stygias-faces est experiatur faces Furiarum, dum atterendo consumpserit. Opportune Wernsdorfius confert Stat. Theb. 11, 2 *furias virtutis iniquae consumpsit Capaneus*, eund. Theb. 10, 807 *viden' ut iugulo consumpserit ensem?;* Tac. Hist. 3, 24 *ignominiam consumere.* Addo similia, Curt. 6, 29 *misericordiam consumere;* Sil. Ital. 5, 642 *tela omnia solus pectore consumo;* eund. 10, 128 *consumit clipeo tela.* Tristiorem autem umbram dicit ab effectu.

61. deverticulo, degrediendo ad Italiae Romaeque fatum deplorandum. Non enim opus est, quod Schraderus coniiciebat *e deverticulo*, quod coniungebat ille sine dubio cum repetendi verbo, ut Iuvenal. 15, 72 *a*

deverticulo repetatur fabula, quem locum Castalio laudavit. Paulo post iter propositum (nam ita est in codice atque ediderunt auctoribus Sitzmanno, Heinsio, Burmanno ad Propert. 2, 23, 82 Dammius, Kappius, Wernsdorfius) intellige iustum cursum carminis, narrationem profectionis, ut Ovid. Art. am. 3, 747 *sed repetamus iter*. Aliter ac proprie, quamquam verba sunt eadem, dixerunt Ovid. Her. 16, 118 *propositumque pia voce morantur iter;* Propert. 3, 25, 14 *nos modo propositum, vita, teramus iter.*

63. candentia moenia i. e. Lunam. Urbs erat antiquissima, in Liguribus Apuanis, prope hodiernum Sarzana et fluvium Macram, non magni circuitus, sed satis habitata, colonia Romana, nobilisque portu amplissimo, *quo non spatiosior alter innumeras cepisse rates et claudere pontum,* ut ait Sil. Ital. 8, 481. Vide Strabon 5, 2, 5. Quam, postquam bellis civilibus, imprimis Marsico et Pompeiano multum damnorum accepit, refectamque Gothi, mox Vandali vastaverunt, aëris insalubritas ita desolavit, ut hodie ruinae tantum amphitheatri maxime et circi et murorum supersint, urbs ipsa interierit. Copiosissima eius descriptio est in Targion. Tozzett. itiner. Etrusc. T. X p. 403 sqq. et T. XI init. *Candere* autem eius moenia ait Rutilius, quia marmore, cuius ipse niveum colorem laudat, extructa erant. Testes sunt, qui hodie ea loca viserunt; vide Targion. Tom. X p. 412. De templo autem ex marmore Lunensi extructo Virg. Aen. 8, 720 *sedens niveo candentis limine Phoebi*, ad quem locum cf. Servium. Lapsu dicit celeri, quia labitur non modo unda, sed etiam navis, tranquille lata per undas, ut Virg. Aen. 8, 91 *labitur uncta vadis abies,* atque ii, qui vehuntur, ut id. 6, 2 *et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris;* Ovid. Her. 10, 65 *ut rate felici pacata per aequora labar;* id. ad Liv. 250 *vade, age, et admissis labere pronus aquis.*

64. sole corusca soror i. e. Luna, quae illustratur a sole fratre, ut Stat. Theb. 4, 9 *castra subit ferroque auroque coruscis mixta viris.* Ab luna autem urbem nominatam esse communis ferebat opinio lunaque insigne eius erat, quamquam quo pacto nomen acceperit, non constat. Vide Targion. l. l.

65. indigenis-saxis. Notum est etiam hodie marmor Lunense, quo genere metalli totus tractus Alpium maritimarum abundat. Romae autem clarissima quaeque aedificia ex eo lapide extructa erant, quoniam ad pulchritudinem eius hoc accedit, ut montes, in quibus caeditur, prope mare sint ideoque facillime exportari possit. Duo autem genera marmoris Lunensis esse ait Strabo 5, 2, 5, unum λίθου λευκοῦ, alterum ποικίλου γλαυκίζοντος, quorum illud, quia erat nobilius, solum Rutilius commemorat. Cf. Plin. nat. hist. 36, 6 et 18. *Indigenis* refero ad adi. *indigenus*, eodemque pertinere puto, quicquid ejus stirpis subst. generis fem. aut neutr. adiunctum est, ut *potio indigena* apud Flor. 2, 18, 2; Prudent. in Symm. 2, 341 *indigena pietas.* Est enim iustum adiectivum *indigenus* apud Apulei. Met. 1 init. *mox in urbe Latia-indigenum sermonem excolui*, atque haud scio an corrigendus sit Plin. nat. hist. 14, 8 n. 6 extr. *de indigena vino.* Est enim etiam adi. *alienigenus* apud Valer. Max. 6, 2, 1 extern. *mulier alienigeni sanguinis;* eund. 6, 5, 1 extern. *ne alienigenae iustitiae obliti videamur;* eund. 1, 5, 1 extern. *extera, id est, alienigena exempla;* eund. 2, 1 extr. *alienigena studia;* Lucret. 1, 861 *alienigenis ex partibus;* eund. 1, 866 *ex alienigenis rebus;* eund. 1, 870 et 873, 5, 878, ut unus omnino locus supersit, Gell. 2, 24 *neque vino alienigena, sed patrio usuros*, qui corrigendus esse videatur, nisi forte vino soli ex omnibus rebus singulare aliquid iuris concessum esse putabis. Illa autem frequentia exempla, ubi *indigena* et *alienigena* substan-

tivis generis masculini coniunguntur. Ridentia lilia cum nitore candido comparantur, quo marmor Lunense eminebat. Lilia enim sunt *candida* (Ovid. Met. 12, 411; Virg. Aen. 6, 709) vel *alba* (Virg. Aen. 12, 67; Valer. Flacc. 6, 492) eaque *ridere* ait etiam Petron. c. 127 *albaque de viridi riserunt lilia prato.* Quare non opus est *candentia*, quod Reusnerus in descriptione Italiae coniecit. Idem v. 63 sic scripserat: *pone metalliferae candentia moenia Lunae*, Statium imitaturus, ut Wernsdorfio videtur, Silv. 4, 4, 23 *anne metalliferae repetit iam moenia Lunae.*

67. quae luce coloris sqq. Totam terram marmoribus candidis abundantem cum campo niveo comparat explicans, quod breviter Lucan. 8, 481 dixerat *quos a niveis exegit Luna metallis.* Imitatur Claud. Stilich. 3, 133 *tantae prospicis urbi* (i. e. Romae) — *quae luce metalli aemula vicinis fastigia conserit astris.* Intactas nives cum appellat, variat, quod Ovidius ait ex Ponto 2, 5, 38 *sunt tua brachia lacte et non calcata candidiora nive*, et Heroid. 16, 249 *pectora vel puris nivibus vel lacte candidiora*, et Amor. 3, 5, 11 *candidior nivibus tunc, cum cecidere recentes.*

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Ablativus pro accusativo 249.*) pro praepos. *cum* 311. absolutus 347 gerundii ad tempus significandum 630.
Abstracta pro concretis 13. 19. 71. 90. 121. 261. 625. 2, 3. 2, 9.
acer Phoebus 483.
admonere quid sit 26.
adversus i. e. ex adverso positus 517.
aediculae sunt ad fontes 270.
Aegyptiaca classis frumentaria Constantinopolin devehitur 145.
aequora populari 333.
aestuum marinorum causae 643.
aeternus fons 109.
affectus i. e. amor 211.
Africa turbata seditionibus 147. imbre Romano dives ibid.
Africus madidus 631.
Alaricus Italiam intrat 2, 41.
Agylla 225.
Albinus, Rufii pater 168.
Albinus, Caecina Decius 466.
Allia 125.
Alpes saxosae et inviae 37. praesidium Italiae 2, 36.
Alsium oppidum et adi. *Altius* 223.
alternus i. e. inter se oppositus 247.
Althaea 2, 53.
amarus ad sales marinos pertinet 254.
ambitus Rutilii tempore 362.
antennae tenduntur 511.
Antiphates hospes 382.
antrum Pierium 267.
Apenninus aërius et nubifer 2, 15. describitur 2, 27.
aper habet fulmen dentis 625.
apertum mare 155. 533.
aplustria 513.
arbuta non sunt arbusta 32.
arcanum imperium 2, 41.

*) Prioris libri numerum brevitatis causa ubique omisi.

arduus i. e. difficilis ad credendum 263.
Aremorica sive Armorica seditiosa 213.
Argus luscus fit 611.
arma iuvenci et *ora* iuvenci 259.
Arnus fluvius 566.
arripere et *rapere* iter 165.
artatur mons 315.
assurgit insula 515.
attonitae aures i. e. dulcedine fascinatae 201.
auctor gen. comm. 67.
aurum letale est 357. et materies vitiis ibid.
Avernus sinus 247.
Ausur. eius nomen vetus et hodiernum 566.
Aurorae equus 429. bigae vel quadrigae 511.

B.

beatus plus, quam *felix* 6.
Bellerophon nimiae bilis morbo laboravit 450.
bimare litus Corinthi 319.
Biturix strictura 353.
brachia lenta in natando 247. brachia sunt moles in portu 535.
Brennus 125.
Briareïa praeda 613.
Britannia quot provincias habuerit 499. eius incolae feroces ibid.
buccina in venatione 629.

C.

Caecinarum gens 527.
Caeretani fines 225.
caerula i. e. mare 315.
captiva unda 247.
Capraria insula 439. eius monachi 441.
Castor geminus i. e. Castor et Pollux 155. eius templum apud Ostiam ibid.
Castrum Inui 227. quibus oppidis in Italia *Castris* nomen sit ibid.
cataractae 481.
catasta mendax 393.
Catulus, Q. Lutatius 298.
celebrare aliquid aliqua re 103.
celeuma vel celeusma 372.
cellae in portubus quae sint 243.
censere aliqua re 467.
censoria lima poëtae satirici 605.
Centumcellae et portus 237.
certus vultus 547.
cespes i. e. terra ferrum continens 354.
Chelarum polus pallidior aequinoctio autumni 183.
Christiani carpuntur 382. 440. 518.
Cincinnati iugera pauca 556.
cingere visu 2, 17.
Circenses ludi quando celebrati sint 201.
claustra montium 2, 34.
cognati hostes in bellis civilibus 295.
cognomen i. e. nomen 441.
color detrahitur rebus nocte, redditur luce 217.
colus et colos 134. 2, 56. plenae 2, 56.

comes sacrarum largitionum 582. 607.
comites illustres. eorum genera 507.
comparare alicui i. e. committere cum aliquo, similem reddere 267.
complexus laxare 35.
componere vitam 161.
concilium summi dei 17.
conductor qui sit 382.
conferre de debitis 147.
consulares quot fasces habuerint 580. iis statuae positae 575. cons. Tusciae et Umbriae 580.
consumere faces 2, 56.
conus turriger 117. pyramidis 567.
Corus, ventus rapidus, 463.
Corsica 431. eius montes obscuri ibid. inventae fabula 435. graece Cyrnos ibid.
Cosa 286. a muribus vastata ibid.
crebrescit fama 415.
crepusculum de diluculo 277.
crispantes radii 2, 13.
cura sinuosa 322.
currere velis 429.
curvum mare 315.
cymbae in mari 219.
Cyrniacus et Cyrnaicus 516.
Cyrnos i. e. Corsica 435.

D.

damna ditia 121.
damnare aliqua re et alicui rei 391.
decessae umbrae 313.
decessor et praedecessor 473.
Decius, Lucilli filius 599.
degenerare c. dat. 591.
deterior i. e. minus potens 525.
deus summus qui putetur a Stoicis 17.
deverticulum orationis 2, 61.
devexa Apennini 2, 15.
diadema Romae deae 117.
dignari i. e. velle, deterioris latinitatis consuetudine 164.
dignitatum gradus et decursus Rutilii tempore 171.
dirus et durus 382.
dispendia rupis 321.
dissocialis i. q. dissociabilis, ἅπαξ λεγόμενον 384.
dubium aurorae 217.
ducere conum 567.

E.

Eous i. e. Lucifer 429.
Ephyreïus isthmus 319.
ergastula i. e. homines ergastulo digni 447.
ergo correpta altera syllaba 559.
Euboicus i. e. Cumanus 247.
Eurus clarus et niger 541.
excipere fata 303.
excubiae armigerae principis i. e. scholae palatinae 563.
expugnare mulieres 359.
expulsum mare molibus 527.
Exuperantius, dux Aremoricae 213.

F.

Fabricii focus 557.
faces Furiarum punientes scelera 2, 56.

facio c. infinitivo 2, 45.
factus i. e. manu factus 240.
Faleria 371. prope eam calida stagna piscium plena et lucus 377.
famulus i. e. subiectus, servus 151. 213.
fasces significant ipsum honorem 175.
favor de acclamationibus circensibus 201.
fel nigrum morbus est 448.
ferre i. e. aestimare 557.
festa eorum, qui magistratum ineunt, vota concipiunt 423. eorum domus exornantur 425.
fides pelagi 205. f. mira 335.
Flaminia via 592.
flexus et flectere promontorium 322.
fodere fontem et *fundere* fontem 265.
fomes et *opus* i. e. causa et effectus 487.
frenare magistratum i. e. gerere 499.
frequentare, frequenter commemorare 531.
frigida, i. e. otiosa, sabbata 389.
fuga Sardoa i. e. in Sardiniam facta 295.

G.

Gallia diu vastata 21. In Gallia florent studia liberalia 207.
gaudia in re amatoria 261. gaudia moesta 577.
genius curiae qui sit 16. domini i. e. imperatoris 328.
germani mores i. e. similes 473.
Germania frumentis Romam sustentat 145.
Getae et Gothi 40. sunt perfidi 141. eorum potentia maritima 333. pelliti 2, 49.
glutineus, novum vocabulum 610.
Gorgon insula et eius monachi 515.
gradus i. e. honores 507. 591.
Graviscae 281.

H.

habenae i. e. munus 473.
habet iter medium Phoebus 372.
halitus 105.
Hannibal flevit successus suos 128.
Harpyiae vocantur homines rapaces 607. quattuor syllabas habet ibid.
Homerus laudatur 195.
horrida est glacies 481. 485.
hostia gentis Geticae cadat 141.
Hyades mane occidunt 633.

I.

Igilium insula 325.
Ilva insula 351. creatrix ferri 354.
imagine saxi formatus deus 229.
imitatio 175.
in aethera et *ad* aethera 99. *in* duris rebus et duris rebus 497.
indigenus et *indigena* 2, 65.

ingenitum decus 6.
ingenium loci 328.
iniuriam dolere 119.
inserere penates regibus 571.
insinuare i. e. tradere 590.
insordescere et *inhorrescere* quid sit 617.
inter et *intra* 378.
interrigare novum vocabulum 537.
invitare aquas 243.
Inuus deus et eius Castrum 227. 230. qualis deus sit et unde nomen habeat 233.
Ionjae aquae quae dicuntur 319.
ira maris 187.
Iris imbrifera 97.
irrepere regno 305.
Isidis sacra a Romanis recepta 49.
Ister riget glacie 485.
Italia inculta iacet 149. rerum domina 2, 15. eius forma describitur ibid. eius longitudo 2, 21. latitudo 2, 25. tuta a populis septentrionalibus 2, 35.
iter i. e. cursus carminis 2, 56.
Iudaei vituperantur et sub eorum nomine Christiani 382. sqq.
iuge opus 2, 4.
iunctus i. e. propinquus 2, 25.
Iuvenalis laudatur 603.

L.

labi de navigantibus dictum 2, 63.
lacer i. e. vastatus 29. 325.
Lachanius, pater Rutilii 575. 595.
lassatus cursus 371.
latebra i. e. latere 521.
latet insula in mari 527.
Latius i. q. Romanus 11. 149. 2, 33.
latus i. e. litus 516.
latus i. e. late patens 412. *latum* et latus 2, 23.
lauri fruticantes 457.
laxare nodos 628.
legere mare 453.
leges vivunt 133.
Lepidus, M. Aemilius, cos. 78 a. Chr. 295. triumvir 299. eius filius 303. maritus Drusillae 305.
Lepidum malum 311.
Lepus, sidus coeleste 633.
levat umbra montes 431.
liber dolus 2, 47.
litare i. e. sacrificare 45.
lilia rident 2, 65.
Lucrinus sinus 247.
Lucillus, poëta satiricus 599.
ludit avis 111. *ludunt* pisces in vivariis 378. *ludit* satira 603.
lumina, oculi, valedicunt 166. sicca ibid.
Luna nova de vento decernit 205. dubitanda vanescit 433. Luna urbs 2, 63. eius marmora niveu ibid.
Lynceus caecus fit 611.

M.

Macetae et *Macetum* 85.
machina mundi 2, 32.
Magister officiorum et officiis 563.
maligna tempestas 619.

manus vocantur tela 367.
manu i. e. opere humano 529.
mare insanit 619.
merita i. e. virtutes 545.
Messala orator 271.
meturi requiem noctis 345.
mirum est, *si* i. e. quod 601.
miscere summis ima 2, 44.
mobilitas fugae 222.
mollis ventus 293.
monachi carpuntur 441. 518.
Mons Argentarius 315.
mortalia semina i. e. quae moriuntur 233.
mundus i. e. orbis terrarum 47.
Munio fluvius 279.
muri aquaeductuum 101.

N.

natare transitive 435.
natatus Euboici 247.
naturae causae 487.
navigium i. e. navigatio 541.
nec i. e. ne-quidem 394. 446.
negare dies continuos 631.
nempe 107.
nemus et *nemorosus* 283.
Nero Tartareus 2, 57.
nescire i. e. dissimulare, nolle cognoscere 27.
Niseus crinis 2, 54.
nisus et nixus 129.
nives intactae 2, 67.
nobilitas i. e. fama hominum 73. nobilitas laudatur 168. 271. 518.
non pro *ne* 134.
Norica gleba 351.
Notus nitidus 615.
nubiferum caput montium 431.
numerare beatum 5.
nutus i. e. potestas 271.
Nympha et lympha 265.

O.

obsidio passive 2, 11.
oculi duces sunt animo 191.
oleum publice distribuitur 149.
omnis post negationem pro *ullus* 394.
orator vir bonus esse debet 275.
Orion procellosus 635. et Oarion ibid.
osculantur abeuntes limina 43.
Osiris et eius festa 373.
otium navale 621.

P.

pagani coërciti legibus 373. 428. rustici eorum sacra retinent ibid.
Palladius, Rutilii cognatus 207.
pallent herbae, sole exustae 479.
palma i. e. laus 563.
pandere portum 155. litus 240.
parare vitia 357.
pars i. e. terra, quatenus a magistratu regitur 503.
pasci aliqua re i. e. ali 522.
patet mons 315.
pati bona 446.
pecudes dicuntur equi 263.
pedes i. e. qui terra proficiscitur 560.

pe-

peregrini sunt provinciales 13.
perfugium 219.
persultat buccina colles 629.
pignus i. e. filius 599.
Pisarum portus 527. emporium 531. sunt Alpheae originis 565. earum situs 566.
Pisaeus et Pisanus 615.
placare et pacare 155.
plagarum rara fraus 625.
Plias occidua 187.
Pluralis pro singulari 555.
Populonia 401. eius portus et castellum ibid.
portio animae vel pars animae de amicis 426.
Portus Augustus 185. Herculis 293.
postliminium pacis 213.
potius non omisso commate, quod ei respondeat, ponitur 1.
praecipitare colos 2, 56.
Praefectus urbi senatui praeest 158. eius insigne gladius 159. penes eum est iurisdictio ibid. 582.
Praefectus praetorio 271.
praelegere terram 223.
praeludere aliquid 257.
praesidet deus urbi 229.
praetexere 537. 2, 33.
praetoria 271.
primaevus et primaevitas 171.
primus i. q. praecipuus 11.
prisci mores 597.
Proconsul Africae 173.
procul esse alicui et prope esse 335.
pronae undae 339.
prorae custos 455.
Protadius 542.
provehi ad dignitatem 426.
puer appellatur, qui viginti fere annorum est 171. 470.
pulsare litus 533.
Pygmaeorum cum gruibus bella 291.
Pyrgi 223.
Pyrrhus 127.

Q.

qua parte pro *utra parte* 254.
qua et quo 97. 111.
Quaestoris munus 171. 580.
qualiter 641.
quam-tam pro *quanto-tanto* apud comparativos 22.
in quantum 46.
quater beatus 5.
que et ve 252.
quicquid id est 311.
Quirinus et Quirini iura 157.
quisquam i. e. quisquamne 444.
quisque i. e. quicunque 276.
quoque traiectum 267.

R.

recessus 79.
recidere et *recidivus* unde dicatur 311. longa prima syllaba ibid.
rectores qui proprie sint 503. 597.
reddere i. e. exprimere, referre 601.
redit fons 109.
refingere comas 115.
regere iura 157.

regum rectores et *rerum* rectores 555.
requies noctis 345.
resonare aliqua re et alicui rei 201.
resurgunt depressa 129.
retexit sermo 295.
Roma regina mundi 47. genitrix deorum et hominum 49. Romanum imperium omnia continet 57. communis omnium patria 63. in urbem coniunxit orbem 66. vicit omnia imperia 83. eius aedificia magnifica 93. templa auro tecta 95. aquaeductus 97. thermae 102. fontes in urbe 103. eius viridaria et arboreta 111. deae caput lauro cinctum est 115. et corona turrigera 117. clipeus 117. eius leges 133. semper vivet 135. altrix orbis terrarum 145. eius dominae arces 194. ibi aër est purior quam in portu 197. ibi floret iurisprudentia 207. proditur a Stilichone et capitur ab Alarico 2, 41.
Romana saecula 133.
Rufius, Albini filius 168.
Rutilius in imitatione suo Marte variat 5. 32. 259. 217. Stoicos sequitur in philosophia 17. 73. 643. 2, 32. deterioris aetatis notas habet. Vid. *Abstracta* 3. 164. 211. 257. 276. 277. 394. 487. 541. 617. 2, 4. christianis infestus 382. monachis 441. 518. ἀκαὶ λεγόμενα apud eum 384. 537. 601. pentametrum habet ex duobus verbis constantem 450.
Romani carne suilla plurimum utuntur 384.
rubor poëtae, quem ab initio libri secundi sustinet 2, 9.

S.

sacra aula 507.
in saecula porrigere 133.
salinarum ratio describitur 475.
Samnis luit foedera Caudina 126.
sancti sunt mortui 575.
Sardinia ferri fecunda 354.
Sardonicus et Sardonius ibid.
satellites i. e. coniurati 2, 49.
secat flumen agrum 179.
sedes facundiae pectus est 275.
in senatum recipiuntur peregrini 13. senatus *imperium* et *collegae* 15.
Serrani vomer 558.
Sibyllini libri cremati 2, 52. fatalia pignora regni sunt 2, 55.
signatus i. e. nominatus 293.
sinus i. e. recessus 233.
sol pro eo, quod optimum est in rebus humanis 53. *sol uterque* 2, 27.
solidare 119.
sospes, qui sana mente est 52.
specimen virtutis 544.

squalere i. e. re sordida impletum esse 439.
spiracula, scrobes terrae, unde spiritus emittuntur 267.
statio navium *fidu* 559.
Stilicho, hostis imperii 2, 41. libros Sibyllinos cremavit 2, 51.
strictura ferri 353.
subiectus et subrectus 347.
succedere ripae i. e. egredi in ripam 341.
sufficere i. e. suppetere 367.
surgunt venti et navigantes 399.
sustinere ruborem 2, 9.
symplegas limi 461.

T.

taedae legitimae i. e. nuptae mulieres 359.
Tagus Tartessiacus aurum ducit 356.
Tartareus i. e. execrabilis 2, 57.
tegit astra dies 399.
tela doloris 451.
tendere i. e. porrigere 55. tenditur mons 315.
terere otium 621. de viis 2, 22.
terrenus i. q. terrestris 37. bellum 333.
Thermae Taurianae 247.
Tibris deus redimitus arundine 151. fronte bicorni dividuus 179. eius laevo fluvio Aeneas solus usus est 181.
toga senatores et iudices significat 466.
tolerare iter 36.
Tolosa capta a Gothis 493.
totum eodem casu, quo pars 37. et *tutum* 337.
transversi colles 315.
trepidant ostia Munionis 279.
Tribunorum militum genera 561.
Triturrita villa 527.
Troiugenae penates 571.
Turnus, poëta satiricus, laudatur 603.
Tusci retinentes veterum sacrorum 373. mortuos consecrant 595. vocantur Lydi 595. et Corythi populus 599.
Tuscia et Umbria 551. 592.
Tyrrhigenae qui sint 595.

U.

vacantes comites et tribuni 507. 561.
Vada Volaterrana 453. prope ea villa Albini 466. et salinae 475.
ve post negationem 252.
vel minuit, non auget 29. i. q. *et* 40.
Veneris templum in insula Tiberis 156.
ventus a litore oritur 512.
vernula avis 111.
Vicarius Britanniarum 499.
vicibus alicuius i. e. pro aliquo 499.
Victoria est genius curiae; eius *ara* quando constituta, quando sit destructa 16.

Victorinus. 493.
villae sunt, quae prius oppida fuerant 224. habent deversoria 381. *villicus* hospes 623.
vincta flaenta gelu 489.
vinum publice distribuitur 149.
Virgilius, auctor nobilitatis 168.
vitalis natura 61. *vitalia* 2, 37.
vivendi prima via reperta ferro 364.
Umbria est provincia, quae dicitur Tuscia et Umbria 551.
Umbro fluvius 337.
volumen fluctuum 537. est ipsum volvi 2, 1.
voluptas est 71.
vortex et vertex 314.
vulnificae Camenae satirae 603.

TYPIS TROWITZSCHII & FILII.

3 2044 036 900 280

SEP 25 1897

APR 25 1902

JUL 14 1902

MAY 29 '46